

www.e-rara.ch

**Commentaria In Acta Apostolorvm, Epistolas Canonicas Et
Apocalypsin**

**Lapide, Cornelius a
Antverpiæ, M. DC. XXVII**

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-143778>

Caput octavum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

beata conqueſcat, dicatque cum Pfalte pſal. 3. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Vbi S. Auguſt. *O in pace!* inquit, *ô in idipſum! ô dormiam & requieſcam!* Hinc fidelium pius eſt mos, vt aliquo è ſuis moriente non dicant, Talis mortuus eſt, ſed, *Obdormiuit in Domino.* Felix ſomnus, ait Petrus Damiani orat. de S. Stephano, *cum requie, requieſcum voluptate, voluptas cum aternitate.* Nam vt dicitur pſal. 126. 2. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* Et Apoc. 14. 13. *Beati mortui qui in Domino,* id eſt, in Domini fide, gratia & ſinu, quaſi viuæ eius membra, *moriuntur.* Vide ibi dicta.

Hic fuit finis, hic triumphus, hæc coronis & corona primi Chriſti athletæ, S. Stephani, quem S. Auguſt. Nyſſenus, Fulgentius, Emiſſenus, Chryſologus, Bernardus, Nicetas & alij ſuis homilijſ profecuti, miris encomijs celebrarunt.

Miracula poſt mortē per ſacra eius liſana & reliquias patrata, magna & multa recenſet S. Auguſt. lib. 22. Ciuit. c. 8. & homil. 7. de Sãctis, & Proſper lib. de Prædict. dimidij temp. cap. 6. Greg. Turon. lib. 1. Hiſtor. c. 31. Gennadius, Nicetas & alij plures. Porrò iam inde ab eius obitu, tanto in honore & cultu apud omnes fideles fuit, vt S. Clemens lib. 8. Conſtit. c. 33. ſcribat, Apoſtolos fanxiſſe, vt quotãnis dies martyrij eius publicè feſtus celebretur. Vnde S. Martialis Apoſtolorum diſcipulus, altare S. Stephano in Gallia dedicauit, vti ipſe teſtatur in epiſt. ad Burdegal. cuius exemplū ſecutæ multæ aliæ Gallicane Eccleſiæ, nomine & titulo S. Stephani magna templa & baſilicas erexerunt. Primus Hungarorum rex & Martyr S. Stephanus, à S. Stephano & nomen, & regnum, & martyrij laureã eſt adeptus, vti habet eius vita 25. Auguſti.

Denique S. Dorotheus in Synopſi, aſſerit eo-

dem die cum Stephano occiſum eſſe à Iudæis Nicanorem Diaconū, & inſuper duo Chriſtianorū millia. De Nicanore idē tradit S. Hippolytus lib. de 72. diſcipulis. Verū Martyrol. Rom. 10. Ianuarij, aſſerit Nicanorē in Cypro eſſe occiſum. Idem habet Menologium Græcorū 28. Iulij, quod & addit, id cõtigifſe ſub Veſpaſiano.

Ito nunc S. Stephanē, ito pugil Chriſti, ito ad Ieſum tuum, pro cuius fide & amore tantum agonem obiſti. Ieſus te expectat vt coronet, qui ſpectauit vt vinceret. Bonum certamē certati, curſum cõſummaſti, fidem ſeruati: accipe coronam gloriæ. Ito Martyr fortiſſime in domū fortium Dei. Ito Virgo caſtiſſime in ſuperum montem Sion: ſequere cum choriſ S. Virginum Agnum quocumque ierit, canta cum eiſ Canticum nouum, imò illud cæteriſ præcine. Ito Chriſti Euangelifia & præco in aulam cæleſtem Chriſti. Ille victorem & felicē tuum ſpiritum excipiet. Ille tibi ſaxa in gemmas cõuertet; pro corona ſaxorum imponet capiti tuo coronam carbuncolorū, adamantū, ſmaragdorū. Ille ab oculiſ tuiſ lacrymas, à vultu ſudorem, à corpore cruorem omnem abſterget: ille Deo Patri victorem te ſiſtet, vt pro modico agonis tempore æterni regni diadema accipias. Ito Protomartyr, cæteriſ iter in cælum præi, viam ad triumphum ſterne: ſequentur te vt ducem toto orbe per omnia futura ſæcula, innumera Martyrum agmina. Pauciſ horiſ fortiter luçtando teipſum meritiſ, Apoſtoloſ gaudio, fideleſ exemplo, Eccleſiam gloria, orbem fama, angeloſ exultatione, cælum ciuibuſ, paradifum Martyribuſ impleſti & condecoraſti. Eia ex alto noſ reſpice, vt tui certaminis veſtigia fortiter ſequi, itaque gloriæ tuæ brauium conſequi mereamur. Amen.

Feſtum S. Stephani ſancitum ab Apoſtoliſ.

C A P V T O C T A V V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

A Morte Stephani oritur grauis Eccleſia perſecutio: vnde fideleſ diſperguntur, & Samariam conuertunt, in eaq; Simonem Magum: ſed ille volens emere poteſtatem dandi Spiritum ſanctum à S. Petro increpatur. Denique v. 26. Eunuchus Candacis reginæ à Philippo baptizatur.

1. **F** Acta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſoly- mis, & omneſ diſperſi ſunt per regioneſ Iudææ & Samariæ, præter Apoſtoloſ. 2. Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. 3. Sauluſ autem deuaſtabat Eccleſiam, per domoſ intrans, & trahens viroſ ac muliereſ tradebat in cuſtodiam. 4. Igitur qui diſperſi erant, pertranſibant, euangelizanteſ verbum Dei. 5. Philippuſ autem deſcendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illiſ Chriſtum. 6. Intendebant autem turbæ hiſ quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audienteſ, & videnteſ ſigna quæ faciebat. 7. Multi enim eorum, qui habebant ſpirituſ immundoſ, clamanteſ voce magna exhibant. 8. Multi autem paralytici & claudi curati ſunt. 9. Factum eſt ergo gaudium magnum in illa ciuitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate Maguſ, ſeducenſ gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum: 10. cui auſcultabant omneſ à minimo uſque ad maximum, dicenteſ: Hic eſt virtuſ Dei, quæ vocatur magna. 11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiſ ſuiſ dementaſſet eoſ. 12. Cùm verò credidiſſent Philip-

po euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres. 13. Tunc Simon & ipse credidit: & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. 14. Cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem. 15. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum: 16. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. 17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. 18. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, 19. dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cui-cumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. 21. Non est tibi pars, neque fors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo. 22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 23. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. 24. Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum quæ dixistis. 25. Et illi quidem testificati & locuti verbum Domini, redibant Hierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant. 26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta. 27. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ Æthioppum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem: 28. & reuertebatur sedens super currum suum, legendumque Isaiam Prophetam. 29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum. 30. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legendum Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis quæ legis? 31. Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitq; Philippum vt ascenderet, & sederet secum. 32. Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. 33. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit, quoniam tollitur de terra vita eius? 34. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? 35. Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, euangelizauit illi Iesum. 36. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? 37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Iesum Christum. 38. Et iussit stare currum: & descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. 39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. 40. Philippus autem inuentus est in Azoto, & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

VERS. I.

FACTA EST AUTEM IN ILLA DIE (id est, illo tempore. est synecdoche) PERSECUTIO MAGNA IN ECCLESIA] *Ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν*, id est, in Ecclesiam, contra Ecclesiam, ita Tigurina. Dorotheus tradit cum Stephano occisos esse bis mille Christianos, vt paulò antè dixi. Certè plures tunc occisos indicat Paulus Actor. 26. 20. dicens: *Et cum occiderentur, ego detuli sententiam.* Hæc ergo fuit prima generalis Ecclesiæ persecutio. quam mouerunt Iudæi hostes eius exinde, & deinceps semper infensissimi, ita Euseb. in Chronico.

A lisse, ibique Christi fidè propagasse. ita ex Actis S. Magdalena, & Historia Vaticana Baron. to. 1. Annal. & in Martyrol. 22. Iulij: licet Lucius Dexter in Chronico tradat tardius id cõtigisse, scilicet anno Christi 48. qui & subiungit: *Anno Christi 88. Maria Magdalena miraculis clara, mirifice diuinis laudibus & contemplationi dedita, in Galliam migrat.* Sic & alij plures scribunt eam grandæuam, octogesimo ætatis suæ anno è vita migrasse. Postquam enim apostolatu perfuncta Massilienses ad Christum cõuertit, in sinu Dei secessit in montem, futura sæculis omnibus pœnitentiæ & contemplationis exemplar: ibi per triginta annos vitam angelicam in orationibus & lacrymis egit. Hoc enim ei denuntiabat S. Michael Archangelus, dicens: *Deus quem tantumò Magdalena concupiscit, & semper habes, et vult hunc locum lacrymis irrigare profusus, vt futuris sæculis*

S. Magdalena quando appulit Massiliam?

Multi censent hoc tempore S. Magdalenam cum sorore S. Martha, fratre Lazaro, Maximino, Marcella, & Iosepho ab Arimathia (qui deinde in Britanniam traiciens, ibi euangelizans Christum in pace quieuit) à Iudæis nauim sine velis & remis impositos, Dei ductu Massiliam appu-

seculis exemplum penitentiae perpetuas. Ac iterum angelus qui ad Purgatorij loca eam deduxerat. reponens ipsam ad crucem in bauma edixit. & praedixit: *Quanto tempore tuus ac noster amor Iesus in terris te propter euixit, tanto tu quoque in hac spelunca moraberis*, vti ipsa apprensus Eliæ Anachoretæ, baumam suam incolenti narrauit, teste Doctore Syluestro Prierate apud Suriū die 22. Iulij. Sanè Iudæi præ cæteris Magdalenæ, eiusque familiæ infensi, ob eximium eius in Christum amorem, & ob mirum dolorem, quem in morte Christi cruci astans ostenderat; in eam virus odij sui ilicò euomuisse videntur.

ET OMNES DISPERSI SVNT PER REGIONES IVDÆÆ. Omnes, scilicet fideles qui erant de Ecclesia, de qua precessit: nō ergo soli seniores dispersi sunt, vt videtur velle Euseb. lib. 2. Hist. c. 1. sed & cæteri: nonnulli tamen qui potentes habebāt amicos, vel in latebras sese abdebant, aut periculis & carceri se offerebant, remanserūt. Omnes ergo intellige commodè, qui scilicet. facile fugere poterant. q. d. Plerique omnes permulti dispersi sunt, græcè, *διεσπαρμένοι*, id est, disseminati sunt, quasi seminantes frumenta ad panem supercaelestem conficiendum: vniuersumq; orbem peragrantes, viuifica doctrinæ virtutes efficacissq; disseminarunt, ait S. Athanas. homil. de fermento.

Eccè quantum bonum ex malo elicit Deus, quantam ex persecutione Ecclesiæ dilatationem, & Gentium conuersionem? ita *crescit aduersus agitata virtus*. Vnde Nyssenus homil. de S. Stephano, docet, persecutionem S. Stephani, Euangelium per orbē euulgasse. Ob eius enim cædem discipuli per alias regiones dispersi, eas conuerterunt; & S. Stephanus è cælo earū conuersionem suis precibus impetrauit, ac præcipuè vt S. Paulus conuersus orbem euangelizando obiret. Sic enim impiorum conatibus, quibus opera Dei impedire conantur, Deus opera sua promouet & exequitur, vti ostendi c. 4. 28. Primò ergo dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ; sed mox indelōgè vterius se sparserunt. Testis est S. Lucas c. 11. 19. *Et illi quidem, inquit, qui dispersi fuerant à tribulatione, qua facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam*. Quare Antiochiæ crescente fidelium numero, primū discipuli cognominati sunt Christiani: idem ait v. 26. Vnde Baron. coniectat dispersorum numerum fuisse ad quindecim millia, additque illos ipsos esse, quibus S. Petrus & Iacobus suas epistolas inscribunt, dicentes: *Aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, &c. vel Duodecim tribubus qua sunt in dispersione, salutem*.

Attipulatur Lucius Dexter in Chronico, quod dedicat S. Hieronymo (illi enim fuit coæuus) sic enim habet: *Anno Christi 35. occiso lapidibus Stephano, magna persecutio Hierosolymis & in confinis exoritur: plusquam quindecim mille viri, qui predicantibus Apostolis in Christum crediderant, fugantur. Alij ad Asiam, nonnulli ad Europam veniunt. Ex his plusquam quingenti naue Cypro educti, ad portum Carthaginensem Hispania pertingunt: diuisi per Hispanias, mortem Christi resurrexeruntq; denuntiant, & Maria vitam, ad quam frequens ex Hispania fiebat peregrinatio; totamq; prouinciam vindi-*

que mirificis & inauditis nuntijs complent. Ex hū primi à B. Iacobo eliguntur vrbiū Pontifices, & Pastores. Dubium an omnes Iudæi fuerint. Hispani, præcipuè Iudæi, mittunt legatos ad Apostolos, vt quamprimū aliquis eorum veniat ad eos, qui de rebus recensitis de Christo eos verius & vberius doceat. Vnde mox addit, ad eos profectum S. Iacobum anno 37. Christi, qui fuit tertius ab eius ascensu in cælum: *S. Iacobus, inquit, Apostolus, Zebedæi filius, peragratis vrbibus Hispania, multisq; erectis Ecclesiis, & Episcopis creatis ex aduenia, Petrum Bracara reliquit Episcopum; ac primum oratorium B. Virgini, eius inssu præsentiaque, super Columnam Casa augusta erexit*. Idem tamen Dexter paulò post addit, plerosque alios Apostolos tardius discessisse in prouincias, quæ sibi obtigerant, nimirum anno Christi 41. Sic enim ait: *Ex Hispania rediens Iacobus, Galliam inuisit, & Britanniam, & Venetiæ oppida, vbi prædicat, ac Hierosolymam reuertitur, de rebus grauissimis consulturus B. Virginiem & Petrum. Iacobus interest profecti ad predicandum nonnullorum Apostolorum, scilicet Mathiæ, Thomæ, Andree, Philippi, Bartholomæi, Simonis, Iudæ, & Matthæi, qui Deo duce profecti sunt hoc anno, cum eodem anno scripsisset is Euangelium. Eodem anno Iohannes Theologus comitante B. Virgine, Ephesum proficiscitur. Additque anno sequenti, qui fuit Christi 42. Iacobum redeuntem Hierosolymam, ibidem ab Herode fuisse occisum*.

Porro constat, Apostolos in hac persecutione S. Stephani non fuisse dispersos. Ait enim Lucas, præter Apostolos. Ex quo merito Beda hic refellit Pseudo-Melitonem libro de obitu B. Virginis, qui asserit anno secundo à Christi ascensione Apostolos dispersos, profectos esse in suas prouincias. Dei enim consilio & protectione manserunt Apostoli Hierosolymæ, vt inibi Ecclesiam à Christo, & à se inchoatam fundaret & firmarent, ne Iudæi eam à se dispersam & euersam criminarentur; sed potius ipsa ibidem Synagogæ succederet, eamque sepeliret. Hinc rursus nonnullis parū probabile videtur, quod aliqui apud Baron. in Martyrol. 25. Iulij, censent, in hac dispersione S. Iacobum profectum esse in Hispaniam, ibique Hispanis non Gentilibus, sed Iudæis dumtaxat, euangelizasse. fuit enim ipse vnus ex Apostolis, quos Lucas ait nō fuisse dispersos. Nisi dicas vnum Iacobum hic excipi. Sanè Verulis in Italia valdè colitur S. Maria Salome mater S. Iacobi, quam ferunt Hierosolymistunc eò profugisse, & labore atateque fractam, ibidem in Domino piè obdormuisse. ita Baronius, & Ribadeneira in vita S. Iacobi. Sed de hoc plura dicam cap. 12.

CYRAVERVNT AVTEM STEPHANVM] SYRUS, VERS. 24. positum in arca sepeliretur. Græcum *κομιζω* significat curare, gestare, portare, estque subinde verbum funerale, significans mortuum efferre & sepelire. Quocirca Noster vti generalius, ita plenius vertit, *curauerunt*. Curare enim funus & corpus defuncti, est illud abluere, componere, vngere, vestire, loculo imponere, efferre, sepelire, iusta perfoluere, omnemq; funeris pompam adornare. Porro Græcum *συνομιζω*, id est, *curauerunt vnà*, vel *pariter*, vt vertit Pagnin. & Tigurina,

fina. significat viros timoratos vnanimi consensu, collatisque operis funus composuisse. Minus rectè Caietan. interpretatur, vna cum persecutione eos funus S. Stephani curasse. Alij vertunt, *comportarunt, simul extulerunt*, vti videmus funera multis simul succollantibus efferri.

VIRI TIMORATI] *ἐνλαβείς*, id est *pij, religiosi*. ita Pagnin. & Tigurina. Nam *timor Dei* in Scriptura, idem est quod pietas, religio & cultus Dei; & *timere Deum*, est cum pie venerari & colere. Horum dux fuit Gamaliel: nam vt ipse reuelauit Luciano, qui id ipsum scribit in inuent. S. Stephani, Iudæi corpus Stephani abiecerunt in agrum, vt à feris & volucris voraretur; quocirca per diem & noctem ibi mansit in sepulchro, & à feris auibusque Dei nutu intactum; sed Gamaliel nocte sequenti misit viros fideles & religiosos, qui illud occultè ad villam suam deferrent, quæ ex nomine suo dicebatur Caphargamala, viginti passuum millibus distans à Ierusalem, ibique eum posuit in monumento nouo, faciens ei planctum 70. diebus.

Nota hic, proprium piorum opus esse, sepelire mortuos, à quo in Scriptura laudatur Tobias, & incolæ Iabes Galaad sepelientes Saullem, 2. Reg. 2. 4. Celebratur in Martyr. die 8. Decemb. S. Eutychianus Pontifex, quod suis manibus sepelierit 342. Martyres. Idem de Martyribus sanxit Pius I. Pontifex & Martyr anno Domini 166. epist. 2. ad Iustum Viennensem Episcop. quæ exstat tom. 1. Biblioth. SS. Patrum. Cura, ait, *S. Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanum*. Additque: *Carceres Sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta Spiritu sancto proba. Vt perseuerent in fide, eis incitator insiste. Plebs vniuersa tua sanctitate protegatur. Reuelatum mihi esse scias collega beatissime, citius me finem huius vite esse facturum: sequenti enim anno martyrio est coronatus.*

FECERUNT PLANCTVM MAGNVM SVPER EVM] Syrus, *planxerunt eum vehementer*. Quæres, quis & qualis hic planctus? Respond. Primò, fuisse luctum & lacrymas. *Quis enim*, ait Chrysost. *non plorasset videns illum mansuetum agnum lapidari, & iacere mortuum?* Plangunt enim pij suos mortuos, non quasi omnino perierint, vti mundani faciunt, qui extincto corpore de salute actum esse credunt, quos redarguit Apostolus 1. Thessal. 4. sed ex amore & charitatis affectu; quia eorum præsentia, ope & consolatione vident se destitutos. Plangunt Stephanum, ait Oecum. quod se tanto præfecto, tanto patrono, tanta doctrina, tantisque signis priuatos conspicerent. Sic Martha & Magdalena planxerunt Lazarum, quin & Christus ipse Iohan. 11. Sic Ioseph planxit Iacob, Genes. 50. Israelite Moysen, Deuter. vlt. & Iosue cap. vlt. Hoc est quod Sapiens monet Eccles. 22. 10. *Super mortuum plora: defecit enim lux eius, &c. Modicum plora super mortuum, quonia requieuit, &c. Luctus mortui septem diebus: fatui autem & impii, omnes dies vite illorum.* Quare nullo modo mortuis compati, nec incerere, misanthropon est, Timonicum & ferinum: nimium autem dolere, muliebre & Ethnicum: moderatè lugere, hu-

manum est & pium. Porro Iudæi in luctu funebri plangebant non tantum voce lugubri & lacrymis, sed & gestibus, complodendo manus, stringendo brachia, tundendo pectus, &c. & hoc propriè significat Græcum *κωπτός*, à *κώπλω*, id est, *pulso, ferio*. Hinc adhibebant tibicines, qui triste carmen modulantes, cicerent planctum & eiulatum, vt patet Matth. 9. 23.

Secundò, planctus hic significat funebrem pompam, putà attras vestes (in funere enim omnia erant furua; vnde & funus nomen accepit, ait Festus) aromata & vnguenta, quibus corpus vngentur; thurificationem, lugentium cateruas, tædas funebres, exequias, eleemosynarum distributionem in pauperes, conuiuium funebre, &c. Ad hæc orationes & sacrificia pro defuncto. Sed his non eguit Stephanus, vtpote Martyr: *quonia iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, cuius nos debemus orationibus commendari*, ait S. August. tract. 84. in Iohannem. *Sic planctus magnus & fortis totius Aegypti pro Iacob, non longas imperabat Aegyptiis lacrymas, sed funeris monstrabat ornatum*, ait S. Hieron. ad Paulam, consolans eam de obitu filie Blefillæ, vbi & addit: *Grandis in suos pietas, hoc est, effusa nimium lacryma, impietas in Deum est.*

Tertiò, planctus hic significat processionem cum accensis cereis, psalmodiam & hymnodiam, tum Cleri, tum populi in funere, etiam Sanctorum, adhiberi solitam. Vnde tradit Nicetas orat. de marty. & inuent. S. Stephani, Apostolos ipsos cum frequentia fidelium, in psalmis & hymnis transtulisse & sepeliuisse Stephanum, facientes planctum magnum per quadraginta dies. Sic & S. Hieron. epist. 53. ad Riparium, scribit Apostolos curam corpori Stephani impendisse. Funus enim hoc erat non fidelis cuiuslibet, sed Martyris, eiusque primi & illustrissimi. Planctus ergo hic significat pompam religiosam, sed gloriosam, Martyris triumpho debitam & impensam. Quocirca meritò vrget hunc locum S. Hieron. pro cultu SS. reliquiarum, contra Vigilantium epist. iam citata: *Ergo, inquit, Martyrum immunda sunt reliquia? Et quid passi sunt Apostoli, vt immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in nostrum gaudium verteretur?* Ad planctus huius pompam pertinet martyrium, id est, Martyristumulus & monumentum, ad quod orationis causa conuenire solent fideles.

Ita in Actis S. Laurentij, qui S. Stephano fuit compar & consimilis, tum diaconatu, tum fortitudine & zelo, tum martyrij gloria, legimus, eo in craticula animam Deo exhalante, conuenisse S. Iustinum sacerdotem, Hippolytum aliosque fideles, præsertim pauperes, in quos opes Ecclesiæ iussu S. Xisti Pontif. distribuere, eumque planxisse lacrymado, ac funebri & solemnè pompa corpus eius efferendo in agrum Veranum, ibique tumulum honorificum eicrigendo, iuxta quem omnes confiterunt tribus diebus in ieiunijs, vigilijs nocturnis & orationibus, poscentes eius ope beneficia sibi dari à Domino Deo; quibus exactis S. Iustinus Missam celebravit, in qua omnes communicarunt, itaque

Planctus quid? Resp. Primò.

eos dimisit, ne à persecutoribus comprehenderentur, eò quòd rumor huius conuentus & pompæ iam percrebresceret.

Similes fuerunt planctus & pompæ funebres aliorum Martyrum, vti videre est in eorù Actis. Denique huc pertinet memoria & celebritas annua S. Stephani & S. Martyrum, ab Apostolis fidelibus indicta & sancita, teste S. Clemente lib. 8. Constit. c. 33. Similia leges de S. Polycarpo & Martyribus Lugdunensibus apud Euseb. lib. 5. Histor. c. 15. & lib. 5. c. 1. & sequent. Hæc Nota contra hæreticos, pro cultu Sanctorum & reliquiarum eorundem. Cautè quoque hic legendus Caiet. qui funus hoc & planctû Stephani merè Iudaicum fuisse putat. Hoc enim ex Actis liquet esse falsum.

Mos priscus
sepultura
Christian.

Rursum, ex hoc loco rectè Baron. tradit originem ritumque funeris Christianorum: *Exemplo, inquit, Apostolorum, laudabilis in Ecclesia Dei, in curandis defunctorum corporibus consuetudo permansit, vt eadem in primis aromatibus condirentur; vnde Tertullianus: Si Arabia queruntur, sciant Sabæi pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam dys sumigandis. Gregorius Nyssenus hæc in funere Meletii: Sindones munda, & panni serici, vnauentorum & aromatum largitas, liberalitas mulieris ornata & honesta, &c. Gregorius Nazianzenus non sine myrrha Cæsarium fratrem sepeliuit. De qua etiam consuetudine priscina Prudentius agit his versibus:*

*Candore nitentia claro
Prætere linæa mos est,
Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine seruat.*

Et in fine:

*Nos tuta fouebimus ossa
Violis ac fronde frequenti,
Titulumq; & frigida saxa
Liquido spargemus honore.*

Rursum verò accensis cereis, cantu prosequi pompam funeris, apud Christianos antiquo vsu receptum esse, multis habetur testatum exemplis; vt quod habet Pontius diaconus de funere S. Cypriani Martyris his verbis: *Inde cum cereis & scholaribus in area cuiusdam Candidi procuratoris magno triumpho sepultum est. Quod insuper Gregorius Nyssenus factum tradidit in funere Meletij, cum ait: Quomodo vtrunque quasi ignei rines continentibus facibus, tractu continuo perpetuoq; fluentes, quoad oculi longissimè prospicere solēt, porrigebantur. Gregorius Nazianzenus de matre sua in funere Cæsarij filij gestante faces, hæc habet: Cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebriq; pompa ad Martyrum sedem assertur, sanctisq; parentum manibus honoratur, matre accensas faces gestante. Eadem planè habet cum agit de funere Constantij, in orat. I. aduersus Iulianum Apostatam. Hoc etiam idem qui supra Gregorius Nyssenus, cum meminit de funere S. Marcinæ sororis, testatur. Id ipsum Eusebius in funere Constantini: sed & Hieronymus de funere S. Paulæ, hæc ait: *Translata Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subiicientibus, cum alij Pontifices cereos lampadèsque, alij choros psallentium ducerent, in medio ecclesie speluncæ Saluatoris est posita. Athanasius eadem feliciter & expli-**

cat & probat, cum ait, *Si quis diem obierit, licet in aère ponatur inhumatus, ne omiseris oleum & ceram, inuocato Christo Deo ad sepulchrum accendere: accepta enim Deo sunt, plurimamque secum referunt retributionem: oleum & cera holocaustum est; incruenta verò hostia oblatio, propitiatio est. Quid verò Chrysostomus? Quid, ait, ardentis, quaso, lampades sibi volunt: nonne tamquam athletas eos comitamur? Quid autem hymni: nonne glorificamus Deum, & illi gratias agimus, quia iam defunctum coronauit, & ab incertitudine sublatus penes se retinet? Idemque aliàs laudatissimam Christianorum consuetudinem in celebrandis exequijs defunctorum sæpè commendat. Incenso etiam thure defunctos honorari consueuisse, idque prætermisisse piaculum grande existimatum esse, satis declarant Acta sacrosanctæ Synodi Chalcedonensis: vbi recitatur libellus accusationis aduersus Dioscorum, oblatum ab Ischyrione Diacono, quo inter alia datur crimini, quòd eius auaritia factum sit, vt in funere Peristeriæ piissimæ femine, quæ sua legauerat sanctis locis, oblatio incensi (quantum ad ipsum pertinuit) fuerit prætermissa.*

Porro post annos 380. putà anno Christi 415. qui fuit Innocentij I. Pontificis 14. Honorij Imp. 21. inuentæ sunt reliquæ S. Stephani, per reuelationem Gamalielis, apparentis Luciano presbytero, qui rem gestam fusè perscripsit, ex eoque Beda, Marcellinus, Gennadius, Nicephorus & Baron. anno iam nominato. Addit Lucianus: *Iohannes Episcopus Hierosolymorum (cui quasi Episcopo loci, in quo erat sepulchrum, iusserat Gamaliel Luciano demandare translationem corporis S. Stephani sepulti) assumpsit secum duos alios Episcopos, Eleutherium de Sebaste, & Eleutherium de Iericho; & venerunt ad locum. Qui cum aperuissent Domini Stephani thecam, statim terramotus factus est, & tanta suauitas & fragrantia odorii inde egressa est, quantam nullus hominum meminuit vel audisse, vel sensisse; ita vt putaremus nos in amœnitate paradisi esse positos. Multitudo namque populi aderat nobiscum, inter quos erant pluriimi infirmi variis languoribus. Et ipsa hora mox de odore suauitatis eius septuaginta tres animæ curate sunt: ab aliis fugati demones: aliorum fons restinctus est sanguinis: alii strumis & furunculis liberati: alii à stringio sanati, alii à tertianis & quartanis: alios febris reliquit, alios morbus regius: alii à cephalæa curati & hemiparicia: nonnulli à viscerum occulto dolore liberati: & multas alias curationes senserunt homines, quas enumerare longum. Exosculantes sacras reliquias, iterum clausurunt. Et tunc cum psalmis & hymnis portauerunt reliquias S. Stephani in sanctam ecclesiam Sion, vbi & Archidiaconus fuerat ordinatus, &c. Tunc iugis & infinita siccitas erat; sed eadem hora pluuia magna descendit, & abundanter inebriata est terra. hæc Lucianus. Meminit eiusdem S. August. serm. 51. de diuersis: *Latuit, inquit, tanto tempore corpus eius: processit quando Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit: mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus. Idem enim S. Augustinus 22. Ciuit. cap. 8. narrat, per reliquias S. Stephani, sex mortuos reuocatos ad vitam. Nam Paulus Orosius peregrinatus in terram Sanctam,**

Sanctam, incidens in tempus inuentionis S. Stephani, reliquias eius detulit in Africam ad S. Augustinum, qui per varias Ecclesias eas distribuitus est. Partem alteram detulit Orosius secum in Minoricam, infulam Tertiam, & in suam Hispaniam: inde in Lusitaniam fuere distributa & Franciam, ubi multis claruere miraculis, teste Gregorio Turon. l. de Gloria Martyr. cap. 33. & lib. 1. Histor. cap. 31. Ita Stephanus vita functus, quasi primarius Ecclesie Diaconus, more maiorum ex eminenti suggestu Euangelium, quod omnes credant, etiamnum populo decantat, fidemque Catholicam & Apostolicam præconio nuntiat, eandemque sequentibus signis obsignat, Nimirum sanguis eius instar Abelis, clamat apud Deum, postulans misericordiam: idem clamat apud homines, prædicans fidem orthodoxam.

Rursum anno Domini 439, qui fuit Theodosij Junioris Imp. 32. Eudocia eius vxor, peregrinata Hierosolymam, inde reliquias S. Stephani secum detulit Constantinopolim, easque in martyrio, id est templo, S. Laurentij Martyris collocavit, ita ex Marcellino & alijs Baronius, qui & addit ex Cedreno: *Cum reliquie dextera manus S. Stephani essent Chalcedonem perlata, ea ipsa nocte Pulcheria Augusta (soror Theodosij Imp.) S. Stephanum vidit sibi dicentem: En impetraſti quod precibus tuis petebas, & Chalcedonem veni. Itaque ipsa assumpto fratre obuiam sacris reliquijs profecta est, iſque in palatium illatis, munificum templum B. Stephano condidit, in eoque reliquias deposuit.* Hic verum illud quod de Christo & Christi affeclis prædixit Isaias c. 11. 10. *Erit sepulcrum eius gloriosum.* Et Pfalteres psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.*

Porro reliquie S. Stephani Romam translatae, in monumento S. Laurentij collocatae, nobile Archidiaconorum Martyrumque par, quasi geminos, eosque lucidissimos Ecclesie oculos, vbi orbi que dederunt. Id tabulis sacris in Martyrol. consignatum est die 7. Maij, vbi sic legitur: *Translatio corporis S. Stephani Protomartyris, quod Pelagio summo Pontifice à Constantinopoli ad urbem allatum, atque in sepulchro S. Laurentij Martyris in agro Verano positum, ibidem magna piorum religione colitur.* Ferunt S. Laurentij corpus, veniente S. Stephano, per miraculum se commouisse, ac aduentanti hospiti locum cessisse, illumque intra suum loculum recepisse. Ita refert Pompeius Vgonius in Station. Roman. stat. 19. Petrus de Natal. lib. 4. cap. 13. & alij, quos citat & sequitur Otauius Pancirolius in Thesauris Romæ, secundæ editionis, agens de templo S. Laurentij extramuros. Estque hæc fidelium Romæ traditio.

Quid mirum? S. Stephanus toto orbe tot coruscavit miraculis, vt S. Aug. l. 22. Ciuit. c. 8. multis recessit, tandem multitudine victus, reliquis recensendis superſedeat. *Si enim, inquit, miracula sanitarum, vt alia taceam, modò velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conscribendi sunt libri; nec tamen omnia colligi poterunt.* Continuum verò & perenne S. Stephani miraculum est, quod sanguis eius concretus in vitrea ampulla ex Africa Neapolim à S. Gaudio Episcopo delatus, & nunc in ecclesia S. Gaudioſi repositus, quoties inter Miſſarum solennia in

Cornel. in Acta Apost.

A altari exponitur, liqueſcit fluitque, ac si recens effusus eſſet. Testes oculati sunt ciues Neapolitani.

Denique Christianis Hierosolymam inuadentibus, S. Stephanus eandem tradidisse videtur. Nam, vt narrat Guilielmus Tyrius lib. 8. Belli sacri cap. 16. & seq. cum Christiani oppugnatione urbis defatigati recederent, & dilaberentur, *Ecce rebus desperatis adfuit virtus diuina. Nam de monte Oliueti miles quidam (forte S. Stephanus, aut angelus ab eo missus) qui tamè postea non comparuit, splendidum & resurgens ventilando clypeum signum dabat nostris legionibus vt redirent in idipsum, & congressum iterarent. Accessit oraculum viri sancti, qui habitans in monte Oliueti, prædixerat urbem illo die capiendam.* Quo signo exhilaratus dux Godefridus Bullonius, primus cum fratre Eustachio in mœnia conscendit, quem alij secuti, illic eius iussu effregerunt portam S. Stephani, quæ monti Oliueti obuersa est, ac per eam totum in urbem induxerunt Christianorum exercitum. Itaque à Godefrido & Christianis capta est Hierosolyma anno Christi 1099. die 15. Iulij, feria sexta, qua olim Christus moriens ibidem de morte hostibusque omnibus triumpharat, vt hanc Christianis de infidelibus pareret daretque victoriam.

Ecce quantam gloriam in cælo & in terra, labore & feruore septem mensium (tot enim circiter fluxerunt ab eius diaconatu, vsque ad diem vigesimum sextum Decembris quo martyrium obiit) consecutus est S. Stephanus. *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Verè dixit ille: *Præstat mori vt leonem, quàm viuere vt asinum:* præstat paucis annis viuere in feruore & efficacia heroi-

C corum operum, quàm multis in tepore, vel torpore. Christus tribus dumtaxat annis euangelizans, fundauit Ecclesiam per omnia sæcula duraturam. Totidem annis prædicans S. Iohannes Baptista in spiritu vehementi, contriuit naues Tharsis, putà tumida & dura Iudæorum corda, ac gloriam eximiam adeptus est. S. Xauerius vndecim annis apostolatu in India perfunctus, quot quantaque gentes fide imbuit? quanta patrauit mira & miracula? quantum nomen & decus æternum sibi peperit? Gaspar Barzæus septennio Goæ & Armuziæ exacto quanta patrauit? quantos labores exantlauit? quot infideles ad fidem, quot fideles ad pietatem & sanctitatem traduxit? stupet qui legit vitam eius scriptam à P. Nicolao Trigaurio. Ex aduerso quàm multi Sancti initio feruidi, longitudine temporis refrixerunt, imò ceciderunt, & dederunt maculam in gloriam suam, vti dedit Salomon, Tertullianus, Origenes, &c.

SAVLVS AVTEM DEVASTABAT] Ecce Beniamin, putà Saulus oriundus è Beniamin, quasi lupus rapax sæuit & furit in gregem Domini, ad eum vt non tantum viros, sed & mulieres Christianas domatim perſeruetur, trahatque in carceres ad tormenta & mortem, vti ipse conuersus confitetur cap. 22. 4. Quod enim nos habemus per domos, græcè est, *κατὰ τὰς οἰκίας*: quod Tigurina vertit, *domesticatim*; Pagnin. *per singulas domos*: scrutabatur ergo singulas domos & angulos, vt Christianos perſecutionem fugientes & latebras quærentes reperiret, & raperet ad vincula, perinde ac faciunt modò

P

præ-

S. Stephanus apparet Pulcheria.

Cedit ei locum S. Laurentius.

prætores & lictores Catholicorum in Anglia. A

VERS. 4. QUID DISPERSI ERANT, PERTRANSIBANT EU-
ANGELIZANTES] Ecce quàm prouidè pieq; pri-
mi illi fideles Dei instinctu bona sua vendide-
runt, pretiumque ad pedes Apostolorum depo-
suerunt c. 4. 34. alioqui enim illa in hac perfec-
tione diripuissent Iudæi; ac fideles occupati vt
ea tutarentur, venderent vel conseruarent, non
fuisent expediti ad fugam, vt dispersi euangeli-
zarent alijs gentibus. Nunc autem ijs venditis,
expeditè fugiunt & euangelizant, dicuntque il-
lud Biantis: *Omnia mea mecum porto.*

PHILIPPVS] Non Apostolus, vt vult Polycra-
tes apud Euseb. lib. 5. Histor. c. 24. Apostoli enim
manserunt Hierosolymis, vt Lucas dixit v. 1. sed
Diaconus, c. 6. 5. primus à S. Stephano, eiusq; he-
res, ait Glossa. Vnde nō potuit imponere manus
Samaritis; sed ad hoc v. 14. mittuntur Apostoli
Petrus & Iohannes. Hic tamen Philippus, licet
Diaconus, vocatur subinde Apostolus, vt à Ter-
tull. lib. de Baptismo c. 8. S. August. lib. 1. de Do-
ctrina Christiana in Proœmio, & alijs, quia cir-
cumibat regiones euangelizādo. Sic & Paulus,
Barnabas, alijque similes vocantur Apostoli et-
iamsi non fuerint è numero duodecim Aposto-
lorum. Porro ex hac euangelizatione, quam
Philippus primus fecit in Samaria, Euangelistæ
nomen accepit c. 21. 8. ita Baron.

VERS. 5. DESCENDENS] Ierusalem enim altiori loco sita
erat, quàm Samaria.

IN CIVITATEM SAMARIA] Hoc est, in Samariā
ciuitatē, quæ erat metropolis prouinciæ Sama-
riæ, æquè ac regni Israel, siue decem tribuum; ac
proinde illi nomen suum dedit. Distat à Ierusa-
lem sedecim leucis: sita erat in monte Someron,
à quo & nomen accepit: vt & mons à sua pos-
sessore Semer, 3. Reg. 16. 24. Postea in honorem
Augusti Cæsaris, cui illam dedicauit Herodes
Ascalonita, siue infanticida, appellata est Σεβασ-
τη, id est *Augusta*: fuit enim in fabricis murorum,
dorum, palatiorum, æquè ac opibus & deli-
cijs magnifica & superba. In hac sepulti sunt E-
lisæus & Abdias Prophetæ, item Iohannes Bap-
tista, ad quorum sepulchra cum peruenisset S.
Paula, multis intremuit cōsternata mirabilibus.
Nā videbat varijs dæmones rugire cruciatibus,
& ante sepulchra Sanctorum homines energu-
menos vlulare more luporum, vocibus latrare
canum, fremere leonum, sibilare serpētum, mu-
gire taurorum; alios rotare caput, & post tergum
terram vertice tangere, ait S. Hieron. in Epita-
phio S. Paulæ, & in Abdia c. 1.

PRÆDICABAT ILLIS CHRISTVM] Præcepit Chri-
stus, vt se viuo non prædicarent Gētibus, nec Sa-
maritis, Matt. 10. 5. sed iturus in cælum permisit,
imò præcepit, ijs prædicari Euangelium, Act. 1. 8.
Primi ergo post Iudæos fidem Christi suscep-
ere Samaritæ; quia & ipsi inter Iudæos generali
nomine cenfebantur, etsi ab eis in fide & religio-
ne, vti regno, ita & schismate essent diuisi à Iero-
boam primo eorum rege, subducente se suosq;
à Roboam filio Salomonis. Vnde & Christus
viuens, in transitu, biduo eis prædicauerat, mul-
tosque conuerterat, Iohan. 4. 40. Missum fuisse
Philippum Samariam prædicatum ab Aposto-
lis, tradit S. Cypr. epist. 73. ad Iubaianum.

INTENDEBANT] non tantum audiendo, sed & VERS. 6.
credendo. ita Syrus. & patet ex sequent.

MULTI ENIM EORVM QVI HABEBANT SPIRI- VERS. 7.
TVS IMMUNDOS] Ita lege cum Roman. id est, mul-
ti spiritus habentium spiritus, hoc est, multi spi-
ritus dæmoniacorum, siue energumēhorū, cla-
mantes exibant, scilicet ex dæmoniacis, siue en-
ergumenis. Adiectiuum ergo *multi*, non refert
substantiuum *homines* habētes spiritus, putā en-
ergumēnos, sed *spiritus*, quod sequitur: hoc er-
go hic subauditur, & repetendum est. Nec enim
spiritus ex seipso, sed ex energumēno egreditur.
Noster legit πῶδες, videlicet πνεύματα, id est, *mul-
ti spiritus* in nominatiuo; iam legunt πῶδες in
genitiuo, id est *multorum*, quod clariùs se non-
nulli vertere putant hoc modo: *Multorum enim
habentium spiritus immundi clamātes exibant.* Vn-
de Pagnin. & Tigurina vertunt, *spiritus enim
immundi è multis, qui illis tenebantur, exibant.* Sed
sensus omnium eodem redit. Est hebraismus.
Hebræi enim sæpè rei magis quàm verbis intē-
ti, verbum aliquod ex ijs quæ præcedunt, vel se-
quuntur, intelligendum relinquunt.

SIMON QVI ANTE FVERAT (& etiā nū erat, vt VERS. 9.
mox patebit; sed exteriùs simulabat se velle cō-
uerti fieriq; Christianum) IN CIVITATE MAGVS]
Græcè, μαγέυων, id est, *magiam exercens, magica
patrans opera, magicas præstigijs ostentans, & sedu-
cens.* Est hendiadys. q. d. *Magis suis artibus erat
seducens multos.* Græcè est, ἐξίσωρε τὸ ἐθνος, id
est, *obstupefaciens & quasi in exstasi rapiens vulgus.*
Noster v. 11. vertit *dementans.*

DICENS SE ESSE ALIQVEM MAGVVM] Putā
C Prophetā, vel angelum, aut semideū, imò Deum
& Dei filium. Vnde S. Hier. in c. 42. S. Matthæi,
ait Simonem hunc in tantam prorupisse super-
biam, vt diceret: *Ego sum sermo Dei, ego sum specio-
sus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.* Et
S. August. l. de Hæres. c. 1. ait eum se vocasse Chri-
stum & Iouem, id est, Messiam Iudæorum &
Deum Gentium, vt ab vtrisque haberetur Deus.
Addit S. August. *Dixerat, inquit, se in monte Sina
legem Moysi in persona Patris dedisse Iudæis: tempore
Tiberij in Filij persona putatiuè apparuisse: postea se in
linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos ve-
nisse: Christum autem nec venisse, nec à Iudæis quid-
quam pertulisse.* Vbi aduerte, quædā ex his dixisse
post auditum Euangelium & susceptum bap-
tismum. Nam ante illud nesciebat, vt pote Iudæus
& Samarita, imò nec audierat nomen Paracleti,
aut Verbi vel sermonis Dei; sed vtrumque didi-
cerat à Philippo & Apostolis euangelizantibus,
à quibus baptizatus, factus est apostata & hære-
ticus, imò hæresiarcha, isque omnium qui post
Christum extiterunt, primus. Vnde à S. Ignatio
epist. ad Trallianos, vocatur *primogenitus Satanae*;
ac à S. Augustino, Epiphano, Philastro, & alijs
qui scribunt de hæresibus, inter hæresiarchas
primo loco collocatur. Illo ergo Mago qui cum
dæmone rem habebat, duce & chorago glori-
etur Lutherus, Calvinus, cæteri que hæresiarchæ,
qui pariter dæmones partim visibiliter, partim
inuisibiliter familiares habuerunt, ab eo que sua
dogmata hauserunt, vt ostendi i. Timoth. c. 4. 1.
Hinc & à priscis hæreticis Simonis asseclis, putā
Marco, Menandro, Basili de, Carpocratianis,
Gposti-

Gnosticis cultam fuisse magiā, testatur Irenæus lib.1.c.8. Epiphān. contra Gnosticos, Tertul. lib. de Præscript. æquè ac à modernis nostris eadē laudatur & defenditur. Sanè Lutherus hæresum huius æui pater & princeps, lib. de Missa angulari saxonicè scripto, palàm profitetur sibi notum & familiarem esse malum spiritum, seque cum eo plus quàm modium salis comedisse. Idem refert Iacobus Laingæus in vita Lutheri.

Rursum Nota hîc, superbiam esse fontem hæresis. Hæc enim Simonē impulit, vt talia & tanta de se iactaret, seq; faceret Deum, Eadem impulit cæteros hæresiarchas ad comminiscendum nouos errores, vt eorum haberetur inuentores, in eosque post se ducerent discipulorum agmina. Proprium ergo signum & quasi stigma hæretici, est superbia æquè ac orthodoxi, præsertim doctoris, est humilitas. Hic enim sequitur S. Petrum & Paulum, qui fuerunt humillimi; imò Christum, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, id est, non rapuit diuinitatem, vt fecit Simon, sed semetipsum exinanuit in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, Philipp. 2.7. Denique vide hîc odium diaboli in Christum & Ecclesiam, & ex aduerso Christi virtutem omnia eius tela superantem. Diabolus enim hostes Christo suscitauit. Annam, Caiphā, Scribas & Phariseos: æmulos verò, Theodam in Iudæa, Iudam Galilæum in Galilæa, Simonem hunc in Samaria, Apollonium Tyanæum in Asia; sed hos omnes supplantauit sua sapientia, sanctitate & miraculis Christus eiusque Apostoli. Idem expectet vir sanctus & zelosus qui magna molitur, cogitet se diabolum totumque infernum ad duellum provocasse: virtutis enim comes est inuidia, tū diaboli, tum hominum maleuolorum. Vbi rectè aduertit Baronius. dæmonem esse simiam Christi. Sicut enim Christus primum Apostolorum suorum creauit Simonem, quem deinde vocauit Petrum: ita diabolus primum ei antagonistam, suum pseudoapostolum opposuit Simonem Magum, ideoque Simon Petrus à Christo & Apostolis destinatus est Samariam, vt Simonem Magum profligaret.

Symbol. Simon Magus, putà superbus & insipiens se iactat esse aliquē, cum sit nullus & nihil. Ex aduerso humilis & sapiens dicit se esse nullum & nihil, cum per Deum sit omnia. Sapuit hoc prudens Vlysses, qui vocando se Nullum, Cyclopus manus euasit. Nam, vt narrat Homerus Odyss. 9. Vlysses cum socijs captus à Polyphemo Cyclope, petensque ab eo gratiam liberè redeundi in patriam, rogatus à Polyphemo quod eius esset nomen? respondit: *Nullus*, id est, *Nullus vocor* Cui Polyphemus: *Ego*, inquit, *Nullū sociorum suorum vltimū comedam, alios verò prius: hoc nostrum munus habeto.* Vlysses ergo Polyphemum inebriauit, ebriumque exoculauit. Euigilans ille exclamat, aduocatque alios Cyclopes dicens: *Adiuuate, Nullus me per dolum excacauit.* Cui illi: *Si Nullus tibi soli existenti vim affert, morbum magni Iouis non est euitare.* q.d. Si nullus hominum, sed Iupiter te ferit, nolimus contra Iouem pugnare, vt tibi opem feramus. Ita euasit Vlysses tectus pelle arietis. Simili modo humilis

Cornel. in Acta Apost.

A Cyclopus, id est dæmonum, manus euadit Vnde S. Antonius cum vidisset torum mundum vsque ad cælum plenum laqueis dæmonum, & anxius rogaret: *Quis hos laqueos euadet?* audiuit: *Humilitas* ita S. Athanas. in eius vita.

HIC EST VIRTUS DEI QUAE VOCATUR MAGNA] *Figurina, iste est potentia Dei illa magna. q. d. Simon est Dei potentia, non qualis qualis, sed maxima & sublimissima. Vnde Theod. l. 1. de Fabulis hæret. asserit, Simonē se vocasse infinitam potentiam, id est Deum omnipotentem. Et Clemens Roman. l. 2. Recogn. Ext. Ism virtutem supra creatorem Deum. Audi Tertul. l. de Præscript. c. 46. Simon Magus, inquit, ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum: mundum autem ab angelis suis institutum, &c. Post hunc Menander, discipulus ipsius, similiter Magus, eadem dicens qua Simon ipse: quidquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. Et Irenæum l. 1. c. 20. Hic (Simon Magus) a multis quasi Deus glorificatus est, & docuit semetipsum esse, qui inter Iudeos quidem quasi Filius Dei apparuerit, in Samaria quasi Pater descenderit, in reliquis verò Gentibus quasi Spiritus sanctus aduentarit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater. Hic Selenem quamdam secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis eius conceptionem, per quam initio mente concepit Angelos facere, & Archangelos, &c.*

Vide hîc ingenium hæresiarcharum, nimirum quàm carnales sint & mulierosi. Pergit Iren. de Simone docente, cum angeli malè moderarentur mundum, eò quod vnusquisque eorum concupisceret principatum, se venisse ad rerum emendationem, & descendisse transfiguratum & assimilatum virtutibus, & potestatibus, & angelis, vt & in hominibus homo appareret, cum non esset homo: & passum in Iudæa putatum, cum non esset passus. Prophetas autem à mundi fabricatoribus angelus inspiratos, dixisse prophetias: quapropter nec vltius cura: ent eos hi, qui in eū & Selenem eius spem habeant, & vt liberos agere que velint: secundum enim illius gratiam saluari homines, sed non secundum opera iusta. Hæc fecit post susceptum baptismum, seq; pro Christo ipso substituit. Hunc factum didicit Simon à patre suo diabolo, de quo S. Antonius apud S. Athanas. *Vidi, inquit, aliquando diabolum excelsum corpore, qui se Dei virtutem & prouidentiam ausus est dicere, & ait ad me: Quid vis vt à me tibi donetur Antoni? At ego spiritum vi maxima in os eius ingeminans, totum me Christi nomine armatum in eum ingessi: & statim ille procerus aspectu inter medias manus exoleuit.*

PROPTER QVOD] Id est, eò quod, propterea quod. patet ex Græco.

DE REGNO DEI] Regnū Dei est Ecclesia, tum militans, in qua Deus per gratiam regnat in fidelibus: tum triumphans, in qua Deus in iisdem regnat per gloriam. Vtrumque prædicauit Philippus & Apostoli.

IN NOMINE IESV CHRISTI BAPTIZABANTVR] Ita Romana. q. d. Baptizabantur baptismo, non Iohannis, non Phariseorum, sed Christi, in quo inter cæteras personas S. Trinitatis, inuocatur nomen Filij Dei, putà Iesu Christi. Vide dicta c.

VERS. 10.

VERS. 11.

VERS. 12.

Superbia
fons hære-
sis.

2.38. Aliter hæc legunt & dispungunt Græci codices moderni, nimirum: *Cum verò credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei & de nomine Iesu Christi, baptizabantur.* ita Tigur. Pagnin. & alij. Sic quoq; accipi & dispungi potest nostra versio Latina, si antè *baptizabantur*, ponas cōma. Tunc enim erit sensus, q. d. Cum credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, scilicet illud acquirendum esse in nomine, id est, per fidē & inuocationem nominis Iesu Christi, baptizabantur.

VERS. 13.

CREDIDIT] Fictè, id est, simulauit se credere, tum ne à suis discipulis Philippo credētibus desereretur; tum vt potestatem loquēdi varijs linguis & faciendi miracula acciperet, sicut videbat eam accepisse Philippum & fideles in baptismo. Audi Euseb. l. 2. Hist. c. 1. *Simon callidè se in Christi religionem insinuauit, & vsque eò fidem in Christum veteratorie simulauit, quoad baptismatis lauacro tinctus est;* additq; idem suo adhuc tempore factitari solitū ab eius affectis Simonianis. Hinc S. August. tract. 6. in Iohan. ait quòd Simon vt coruus ingressus sit in Ecclesiam. Idem censent S. Hieron. scribens in c. 16. Ezech. Iren. l. 1. c. 20. S. Gregor. in psal. 4. pœnit. Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 2. Cyril. Hierosol. catech. 3. Chrysoft. hom. 60. ad populum: qui ait, Simone in accessisse ad fidem & Ecclesiam, sicut Iudas in vltima cœna accessit ad Eucharistiam.

Nota. Scriptura sæpè loquitur more hominum; ijs enim se accommodat: homines autem iudicant & loquuntur de rebus & personis prout exterius apparent: interiora enim & arcana cordis perspicere nequeunt. Sic ergo Simon hic dicitur credidisse, quia exterius profitebatur se credere; esto id fingeret, & reuera interiùs in corde non crederet.

VIRTUTES] *δυνάμεις*, id est, opera potentia & miraculosa. Vide dicta c. 2. 22.

ADMIRABATUR] Tum quia maiora faciebat Philippus, quàm ipse Simon: tum quia miracula Philippi vera erant & realia; Simonis autem pleraq; erant præstigiæ, quibus oculis hominum iludebat, vt videretur facere quod reuera non faciebat: tum denique quia videbat in baptismo Philippi, visibiliter in baptizatos descendere Spiritum sanctum in specie ignis, linguarum, &c. Quod sanè vt nouum & diuinum, summè erat stupendum & reuerendum. Quid enim mirabilius, quid maioris dignationis, quid optabilius, quàm Deum omnipotentem in hominem descendere, in eo inhabitare, loqui, operari?

VERS. 14.

MISERVNT] Mittitur hic Petrus, non tamquàm minor, cui iubeatur; sed vt caput & superior, qui rogatur, vt hoc iter tam sanctum & arduum, ad Dei gloriam & Ecclesie propugnationē capessat, quomodo resp. rogat regem, vt proficiscatur ad legationem maximi momenti; vt cum S. Leo Pontif. vt votis fidelium satisfaceret, profectus est ad Attilam, eiusq; furorem à Romana Ecclesia auertit. Sic Pater misit Filium in mundū, & cum eo misit Spiritum sanctum in Pentecoste; esto omnes tres personæ in diuinis, auctoritate & gloria sint pares. Vnde Caiet. *Petrum, inquit, Apostoli mittunt, nō imperio, sed fraterna charitate ac impulsione, vt multi fratres mittunt quandoq; maiorem, & Capitulares mittunt Episcopum ad*

A *Papam, vel Cesarē.* Porro mittitur Petrus potius quàm alius; tum vt quasi pastor Ecclesie, in eam gentem exteram recipiat: tum vt quasi caput omnium, Samaritas vniat Iudæis, à quibus antè implacabili schismate diffidebant: tum vt se opponat Simoni Mago & primo hæresiarchæ futuro.

ORAVERUNT PRO IPSIS] Vt scilicet ipsi congruè se disponerent ad Sacramentum Confirmationis, vtq; in eo super eos visibiliter descenderet Spiritus sanctus.

VERS. 15

VT ACCIPERENT SPIRITVM SANCTVM] putà plenitudinem Spiritus sancti, per signum visibile, de quo mox: alioqui enim iā in baptismo inuisibiliter acceperant Spiritum sanctum, per gratiam sanctificantem. Vnde sequitur:

B NONDVM ENIM IN QVEMQVAM ILLORVM VENERAT] Græcè *ἑπιπέσει*, id est, erat illapsus; putà per signū visibile: licet enim Spiritus sanctus visibiliter illapsus sit in baptismo super primos credētes, ad primas conciones S. Petri, c. 2. 41. & c. 4. 4. atq; in Cornelium eiusq; familiam, mox vt credidit ante baptismū, c. 10. 44. tamen id nō fuit baptismo proprium, ideoq; rarum; ac fortè cōcessum dumtaxat S. Petro ob primatus apicē. Vnde nec hic in baptismo Samaritarum, nec v. 38. in baptismo Eunuchi, nec alibi legimus in baptismo visibiliter datum fuisse Spiritū sanctum, sed id reseruatū est Sacramēto Confirmationis, vtpote in qua cōfertur robur & plenitudo Spiritus sancti, ad liberè profitendum & prædicandum fidē Christi, vt patet v. seq. & c. 19. v. 5. & 6.

VERS. 16.

C Notat Epiphani. l. 1. hæresi 9. Samaritarū hæresim fuisse, non esse Spiritum sanctum, itaq; eò mitti Petrum, vt eam euellat, non tam argumētis, quàm re ipsa per Confirmationis Sacramentum, visibiliter conferendo eis Spiritum sanctū.

In Confirmatione datur Spiritus sanctus.

TUNC IMPONEBANT MANVS SVPER ILLOS] Conferendo illis Sacramentum Confirmationis, ita passim Doctores contra Calvinū, qui negat Confirmationem esse Sacramentum, aitq; hanc manus impositionē fuisse meram orandi pro aliquo cæremoniā. Vide Bellar. de hoc Sacramento. Et patet: quia per hanc manus impositionē accipiebant Spiritū sanctū, qui est effectus Sacramenti.

VERS. 17. Est Sacramentum.

Nota hic Primò, solius Episcopi esse conferre hoc Sacramentum. Vnde Philippus Diaconus id non poterat, sed ad hoc vocauit Episcopos, putà Petrum & Iohannē. ita definit Conc. Florent. in formula vnionis Armenorum; & Trident. sess. 7. can. 3. In necessitate tamen Summus Pontifex potest presbyterum auctorare, facereq; ministrum Sacramenti Confirmationis, vt S. Gregorium fecisse legimus l. 4. epist. 33. Vide Franc. Suarez de Sacram. Confirmationis.

Eius minister est Episcopus.

Porro in tribus Sacramentis imponitur manus, scilicet in Ordine, Pœnitentia, & Confirmatione; de qua hic agi patet ex eo, quòd conferebatur recēns baptizatis.

Nota Secundò. Dubium est an Petrus & Iohannes hic adhibuerint chrisma, an verò per solam manus impositionem contulerint hoc Sacramentum. Vtrumlibet est probabile: nonnulli Doctores propendent in hoc, quòd non adhibuerint chrisma, dispēante in hoc Deo, eò quòd tūc loco chrisma esset ipsum visibile signum, per quod illabebatur in confirmandos Spiritus sanctus.

sanctus. ita S. Thomas, Bonau. Scotus, Durādus, Gabriel, Richardus, Paludan. & Soto in 4. dist. 7. Suarez & alij. Fauere videtur Conc. Florent. dum ait, Sacramentum Confirmationis successisse loco manus impositionis Apostolicæ.

Verum longè probabilius est, imò quasi certū, numquam Apostolos hoc sacramentū sine chrismate exhibuisse, vt docet Hugo de S. Victore l. 2. de Sacr. p. 7. §. 2. & Waldel. to. 2. c. 113. Et probatur Primò, quia in cæteris Sacramentis non habuerunt istā libertatem, neq; alia Sacramenta sine sua ordinaria materia administrauerūt. Secundò, quia nullus veterū dicit illos hoc Sacramentū vario modo administraffe, nempe nunc per solam manus impositionē, nūc per chrismatis vnctionē, cum tamen multi dicant illos vfos fuisse chrismate, vt S. Dion. c. 4. Eccl. hier. Clem. Rom. l. 7. Constit. Apostolic. c. 44. Fabianus Papa epist. 2. deniq; ipse S. Tho. 3. p. q. 72. a. 2. Tertio, quia sub nomine impositionis manuū commodissimè simul comprehendimus vnctionem, etiā si non exprimat, vt docet Hugo & Wald. sup. Nam qui inungit, manus imponit: quia manus imponere, phrafi Hebraica significat tangere. Vnde Marci 3. 2. cum quidā petijissent à Domino, vt lunatico manus imponeret, ipse id fecit digito tangēs linguam eius & aures. Vide Pagninū in verbo 729 *samach*, quod significat vngere, imponere, confirmare, fulcire, stabilire, seu tangere ad fulciendū. Sic dicitur Sap. 8. 12. *Manus ori suo imponent.* id est, apponēt. Quarto, quia Patres qui vno loco dicunt Spiritum sanctum dari manus impositione, ijdem alio loco dicunt dari vnctione chrismatis, tamquā hæc duo pro eodē habentes, vel alterum in altero per compēdium intelligentes, vt patet in testimonio Tertul. mox citando, vbi meminit vnctionis, signationis & manus impositionis. Idē autem l. 1. contra Marcionē solum exprimit vnctionē. Cypr. epist. 70. solum meminit vnctionis: epist. autem 72 vocat manuum impositionem; & tamen idē significat. Accedit, quòd Apostoli facillè potuerint habere oleū, & balsamum, vtpote quod in Iudæa nascitur, illiq; est proprium: ex oleo autē & balsamo conficitur chrisma. Cur ergo illud à Christo sanctitū omisissent, vbi nulla virgebat causa, vel necessitas? Secus est de libro Euangeliorū: hunc enim adhibere nō potuerunt in ordinatione primorū Diaconorum, eò quòd ille necdum esset conscriptus. Quintò, quia Patres quādo dicunt solos Episcopos dare Spiritū sanctum per vnctionē chrismatis, id probant ex hoc loco Act. 8. & 19. vbi soli Apostoli manus imponebant: ergo apertè significat in illa manus impositione fuisse cōprehensam chrismatis vnctionē. Vide Cypr. epist. 73. Innoc. epist. 1. & Damas. epist. 4. Sextò, quia familiare est Scripturæ res multas coniungi solitas. per cōpendium perstringere, vna tantum expressa, vt Act. 8. & 19. dicit Lucas Apostolos baptizasse in nomine Christi, relinquēs nobis alias personas cointelligendas. Act. 8. dicit Eunuchū à Philippo baptizatum, cum dixisset: *Credo filiū Dei esse Iesum*; tamen non est dubitandū, quin de alijs multis fuerit interrogatus Eunuchus.

Dices, Conc. Florent. in instr. Armen. dicit loco impositionis manuū Apostolorum, dari

Cornel. in Acta Apost.

annū in Ecclesia Cōfirmationem; & Innoc. III. c. cum venisset, tit. de S. vnctione, dicit per frontis chrismationem designari manus impositionem Apostolorum. Resp. non distinguunt isti ritum à ritu, sed tantum modum loquēdi à modo loquēdi: nam solum volunt dicere, id ipsum quod Apostoli faciebant, cum dicebantur manus imponere, nunc facere Episcopos, cum dicuntur confirmare: quod enim tunc vocabatur manus impositio, nunc vocatur Confirmatio; quamquam sit idem prorsus Sacramētum. Quod hoc velint dicere clarissimum est, si loca inspiciantur; alioquin dicerent tempore Apostolorum non fuisse Sacramentum Confirmationis.

ET ACCIPIEBANT SPIRITUM SANCTUM] Nam Sacramēto Cōfirmationis datur plenitudo gratiæ acceptæ in baptismo. Vnde S. Cypr. epist. 73. ad Iubaianū, illud vocat *signaculum Dominicum quo Christiani consummentur*; vt qui antea erant fideles, iā fiant milites, athletæ & pugiles Christi. Et S. Melchised. ep. ad Episcop. Hispan. in baptismo, inquit, *regeneramur ad vitā, in Cōfirmatione armamur ad pugnā.* Et S. Urban. in ep. Decret. *Omnes, inquit, fideles per manuum impositionē Episcoporū, Spiritum sanctum post baptismū accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* Quocirca S. Cornelius Pont. ep. ad Fabianū Antioch. apud Euseb. l. 6. hist. c. 33. agēs de Nouato: *Non fuit, inquit, signaculo chrismatis cōsummatas: vnde nec Spiritum sanctū potuit promereri.* Et S. Dionys. Eccl. hier. c. 2. p. 3. *Perficiens, ait, illa vnctio facit perfectū.* Pulchrè verò Tertul. lib. de Resur. carnis c. 8. paucis totum Sacramenti huius ritum, putā vnctionem, signum crucis, & manus impositionem perstringit: *Caro, inquit, vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt anima muniatur: caro manuum impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.*

In Sacramento Confirmationis datur Spiritus sanctus, Primò, quia datur augmentum gratiæ acceptæ in baptismo, ac consequenter virtutum omnium. Vnde Euseb. Emisen. (vel quisquis est Auctor, certè priscus est & grauis) hom. de Pentecoste: *Spiritus sanctus, inquit, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam.*

Secundò, quia datur in eo plenitudo septem donorū Spiritus sancti, ac praesertim ingēsrobur ad luctandum cum diabolo. Audi S. Cypr. (vel quisquis est Auctor) tract. de Cardinalib. Christi operibus: *Huius vnctionis beneficio, & sapientia nobis, & intellectus diuinitus datur, cōsiliū & fortitudo cælitus illabitur, scientia, & pietas, & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo vncti cum spiritualibus nequitijs colluctamur.* Vnde forma Sacramenti Confirmationis est hæc: *Consigno te signo crucis, & cōfirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quocirca in historijs legimus, sæpè energumenos in susceptione huius Sacramēti à dæmone fuisse liberatos. Ididem quoq; testatur Nazian. orat. 1. in Iulian. Lactant l. 4. c. 27 Prudent. in apotheosi. Quin & S. Bern. in vita S. Malachiae, sic scribit de eius præceptore Malcho Episc. *Puerū mente captum ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctione curauit.* Ex aduerso Euseb. lib. 6. Hist. c. 35.

In Cōfirmatione datur Spiritus sanctus quo modo? Respondeo Primò.

Secundò.

Apostolos adhibuisse chrismas,

Probatur Primò.

Secundò.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sextò.

vel iuxta aliam editionem 33. scribit, Nouatum reijcientem hoc Sacramentum à dæmone fuisse correptum; & cum esset presbyter, in persecutione præ metu negasse se esse presbyterum. Rursum Gregor. Turon. l. 1. de Gloria Martyr. c. 41. narrat, artes magicas per præsentiam cuiusdam Christiati qui chrismate confirmatus erat, fuisse irritatas & discussas.

Tertio.

Tertio, datur animus & fortitudo ad intrepidè profitendam fidem, præsertim in persecutione & martyrio. Vnde eius virtute Martyres de tyrannis, tormentis & morte triumpharunt: qua de re inter alia illustre est exemplum Aproniani, qui cum esset commentariensis, & Sifinnium Diaconum præfidi examinandum sisteret, vocem è cælo audiuit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi*: qua voce conuersus, à Sifinnio baptizatus, & à Marcello Papa confirmatus, ad martyrium vocatus, fortiter eius agonem obiit, vti habent eius acta apud Surium 16. Ianuarij. S. Bonifacius Germanorum Apostolus in Frisia, dum à se baptizatos Confirmationis Sacramento munire parat, à Frisij trucidatus, eius fidè prior ipse eo confirmatus, suo sanguine confirmavit. ita habet eius vita apud Surium die 5. Iunij.

Quarto.

Quarto, sæpè Deus per hoc Sacramentum patrauit miracula, quæ sunt opera Spiritus sancti & gratiæ gratis data. Præter ea quæ iam recensui, S. Rembertus secundus Bremensis Archiepiscopus, ante annos 800. cum in Sueciam profectus esset, & ibi Pontificali more sacro chrismate cæcum inunxisset, illi visum restituit. ita habet eius vita apud Surium 4. Februarij.

Sic & Faro Meldensis Episcopus, puerum cæcum confirmans illuminavit, vt habet eius vita apud Surium 5. Octobris.

Memorable est quod scribit Optatus Mileuit. l. 2. contra Donatistas, nimirum ampullæ fieri chrismatis à Donatistis impiè violatæ, & per fenestram præcipitatum, ab angelis fuisse exceptam, ne frangeretur aut læderetur.

Fideles ergo maturè curent suos filios confirmari, vt hæc Spiritus sancti dona percipiât: Episcopi vicissim diligentes sint, vt illud suis imperant, illoq; suas, imò Christi oues obfignent & cõfirmant. Celebre est exemplum S. Maurilij Episcopi Andegauensis, qui vocatus ad quemdam puerum moribundum confirmandum, paululum tardans reperit puerum iam defunctum. Quare hanc suam, vt ipse dicebat, negligentiam multis annis luxit, ac relicto episcopatu, secretò fugiens lögam & molestam peregrinationem suscepit, vt refert Venantius Fortunatus in eius vita.

VERS. 18.

CUM VIDISSET Rectè hinc infert S. Chryso. visibili signo, putà ignis, linguarum ignearum, columbæ, aut quosimili, tunc in fideles cõfirmatos descendisse Spiritum sanctum: vnde & visibiles, id est sensibiles, eius effectus emanabât, vt quod loquerentur varijs linguis, quod prophetarent, quod iubilarent, psallerent, cõcionarentur supra captum hominum, quasi enthusiasmo Spiritus sancti acti & impulsi. Quocirca Simon Magus pecunia voluit id ipsum emere ab Apostolis, scilicet vt non tantum ipse reciperet Spiritum sanctum, sed vt & alijs quoq; eundem cõmunicar-

Simon parens simonia.

re, imò vendere posset, longè vtiq; maiori tunc pecuniæ, tunc honoris & gloriæ pretio. ita Oecum. & S. Cypr. serm. de ieiunio & tentatione. Multi enim ingens ei dedissent pretium, si per impositionem manus conferendo Spiritum sanctum contulisset pariter ipsis donum loquendi varijs linguis, reuelandi arcana & futura, explicandi S. Scripturam (hæc enim multi ambiunt magnique æstimant) vti faciebant Apostoli.

Hinc sequitur, Simonem saltè implicitè (fortè etiam explicitè) ambiuisse & voluisse emere episcopatum: quia solum Episcoporum est imponere manus, & hac impositione conferre Spiritum sanctum in Sacramento Cõfirmationis & Ordinis: hanc autem potestatem conferendi Spiritum sanctum emere volebat Simon. Rursum cupiebat superbus Simon inter suos Samaritas excellere & eminere quasi Propheta & vir diuinus, vti hætenus per magicas artes excelluerat. Quare videtur voluisse à S. Petro creari Hierarcha & Episcopus Samariæ: vnde ab eo hodie qui emunt episcopatus & beneficia, vocantur Simoniani vel Simoniaci. ita Bellar. l. 4. de Notis Eccles. c. 13. *Constat, ait, ex Act. 8. Simonem Episcopalem auctoritatè ambiuisse, & data pecunia emere voluisse: vbi verò exclusus fuit, hæresim nouam excogitasse, vt qui in Ecclesia non poterat, saltè extra eam principatum gereret.* Simili enim modo Arrius, Valentinus, Marcion, Montanus, Nouatianus, Lutherus, ceteriq; hæresiarchæ, quia ab episcopatu, similivè officio & gradu, quem ambiabant, repulsi sunt, noua dogmata & hæreses adinuerunt, nouasq; cathedras extra Ecclesiam sibi erexerunt, vt ostendam 2. Petr. 2.

En tibi primò post promulgatū Euangelium (nam ante illud simoniaci fuerunt, Balaam, pretio volens vendere sua oracula, benedictiones & maledictiones, Num. 22. 7. & Esau, vendens ius primogenituræ, eiq; annexum sacerdotium fratri Iacobo, Hebr. 12. 16. & Giezi, à Naaman exigens pretiū miraculosæ curationis à lepra, 4. Reg. 5. 10. & Iason, emens ab Antiocho pontificatū, 2. Machab. 4. 8. æquè ac Annas & Caiphas, eundem redimentes à Romanis) simoniæ parctem: en primum sacrilegum Spiritus sancti infitorem, Simonem Magum. Tradit S. Clem. l. 6. Constit. c. 7. diaboli consilium fuisse, per Simonem Apostolos, pecunia delinatos & captos, dono Dei priuare; sicut Adamum post degustatum cibum interdictum, promissa immortalitate priuarat. Rectè notat Tharasius 1. q. 1. c. eos qui, peiorem esse simoniæ hæresi Macedonianorum: *illi enim, inquit, creaturæ, & seruum Dei Patris & Filij, Spiritum delirando fatentur: isti verò eundem Spiritum efficiunt suum seruū, imò quasi pecus & peculium à se emptum, quod alijs diuendere ad libitum possint.*

Quocirca simonia propriè est peccatum cõtra Spiritum sanctum. Hinc refert Petr. Danaiani epist. 5. c. 7. simoniacum quemdā scelus suū parui pendentem, iussu pronuntiare doxologiam S. Trinitatis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & equiuisse dicere, Et Spiritui sancto, sed tantum, Gloria Patri & Filio, etiamsi secundò & tertio idem iterando, conatus fuisset addere, Et Spiritui sancto, sed frustra.* Nā, vt subiicit Damianus: *Meritò Spiritum sanctum dum emit, amisit, vt qui excludit.*

Simonia eius nequit proferre nomē Spiritus sancti.

exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset à lingua.

Porrò Vrbanus II. Pont. anno Domini 1099. vt grassantem illo sæculo simoniæ pestem reprimeret, contra eã scripsit epistolã decretalem, ad Lucium Præpositum S. Iuuentij apud Ticinum, qua inter alia docet, simoniã esse emere, vel videri beneficium Ecclesiasticum, aut aliã rem sacrã, eò quòd Simon idem hic fecerit. Audi eum: *Obicitur, vtrum vendere Ecclesiasticã rem, simoniacum sit? Hoc simoniacum esse patenter colligitur ex hoc, quòd B. Petrus Apostolus ait Simoni: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donũ Dei existimasti pecunia possideri. Donum quippe Dei est Spiritus sanctus, & donũ Dei est res ipsius Ecclesia oblata. Et si bene aduertis, Simon Magus qui scitẽ ad fidem accessit, non Spiritũ sanctum propter Spiritum sanctum, quo ipse indignus erat (quoniam scriptum est: Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum) sed ideo quantum in ipso est emere voluit, vt ex vẽditione signorum, quæ per eundem fiebant, multiplicatam pecuniam quam obtulerat, lucraretur. Nec Apostolus emptionẽ Spiritus sancti, quã bene nouerat fieri non posse, sed ambitionem talis questus, id est auaritiã, qua est idolorum seruitus, in eodẽ Simone exhorruit, & maledictionis iaculo perculit. Quisquis itaque res Ecclesiasticas, quæ Dei dona sunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæq; ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent, propter sua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone donum Dei pecunia possideri existimat, &c. cum principalis intentio Simonis fuerit, sola pecunia auaritia, id est idololatria, vt ait Apostolus Paulus.*

Hinc rursus Henricus II. Imp. anno Dom. 1047. ob simoniæ labem à Spiritu sancto desertus, professus est se toto triduo demones infestos vidisse, flammam in se per fistulam iaculantes, adeò pertinacem, vt noster ignis in cõparatione illius iocus putetur, & nihil calere; sed liberatum fuisse à iuvene semiustulato, scilicet à S. Laurentio cuius ecclesiã restaurauerat. ita ex Wilhelmo Malmesburiensi & Matthæo Westmonasteriensi refert Baron to. II. an. Christi 1047.

VERS. 20. PECUNIA TUA TECUM SIT IN PERDITIONEM] Maledicit hic Petrus Simoni, ex zelo iustitiæ, nõ vindictæ, tamquã iudex vindexq; sceleris, putã simoniæ, ad cæterorum exemplũ & terrorem. Ex charitate ergo id fecit, & studio religionis, vt primi Christiani discerent, quantum esset Simonis & Simoniæ flagitium, q. d. Per eas & dāneris o sacrilege, cum tuis nūmis sacrilegis. Iustam enim in scelus profert sententiã, eiq; debitam pœnam irrogat. subaudi, Nisi pœnitentiam agas, teq; emendes. Vnde paulò post ad illam eum hortatur dicens: *Pœnitentiam itaq; age.* Magis ergo minando, quã feriendo id dicit, q. d. Dignus es qui per eas morte præsentis & æternæ: minor tibi, & ex parte Dei denuntio, te periturum iturumq; in gehennã, nisi ab hoc crimine resipiscas. Alioqui enim si absoluta & efficax fuisset hæc Petri sententia, non autem cõminatoria, vtq; subito occidisset Simonẽ, eumq; trussisset in Tartara, vt occidit Ananiã & Sapphirã c. 5. qui tamen longè minus peccarant quã Simon. Sed voluit Deus seruari Simonem, ad maiores S. Petri cū eo Romæ coram Nerone agones & triumphos.

A Addit Beda & Glossa, hæc verba Petri non tam esse imprecationem, quã prophetiam & prædictionem, quòd scilicet Simon in hoc suo scelere, alijsq; esset periturus & dānandus; esto ex officio suo hortetur eum ad pœnitentiam v. 22. Sic maledicit P saltes impijs ex eodem zelo psal. 68. *Deleantur de libro viuentiũ.* Sic & isdem maledicit Christus, non minando, & feriendo in die iudicij, dicendo: *Ite maledicti in ignem eternũ.* Porrò maledicit Petrus non tantũ Simoni, sed & eius pecuniæ, non qua pecunia est; sic enim est Dei creatura, & cõsequenter res bonã; sed quatenus pretium erat simoniæ, & sceleris materia. Sic enim pecunia hæc erat impia & sacrilega, dignaq; perire, æquẽ ac impius & sacrilegus eius nūdinator Simon. Vnde S. Hier. in e. 3. Micheæ: *Oblatam inquit, pecuniam cum offerente damnauit.* Et S. Chrysost. sic explicat, q. d. *Peccatum tuum tecum sit in perditionem.* Et S. Bernard. epist. 237. citatis hisce Petri verbis, exclamans ait: *O vox tonitru, o vox magnificentie & virtutis, ad cuius terrorem confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion!* Vide de maledictione, & quomodo creaturæ maledicere liceat, differentem S. Thomam 2. 2. q. 76.

Narrat Baron. anno Christi 1047. (quo sæculo ob tres pseudopontifices valde grassata est simonia; cui proinde præ alijs validẽ se opposuit B. Petrus Damiani) ex Desiderio Abbate Cassinensi, Episcopum quemdam Galliæ à Leone IX. Pontifice à sacris suspensum, furtim data pecunia à Cancellario Leonis absolutionem & restitutionem officij Episcopalis impetrasse. Intellecta fraude Leo, vocato presbytero qui pecuniam nomine Episcopi dederat, ait: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei furtim tentasti pecunijs possidere.* Cuius sermonem diuina mox ultio est secuta, ita vt amissa mente ab illa die vsque nunc, inquit Auctor, vbiq; vagabundus incedat, nec vlla domus, vel claustra, vltra duos dies, vel tres eum retinere valeat.

QVONIAM DONVM DEI.] Nomen proprium Spiritui sancto est quòd sit donum, quia ipse est donũ primum increatum & notionale; procedit enim à Patre & Filio quasi amor vtriusque: amor autem est primum optimumq; donantis donum, quo gaudet ille cui donatur, & à quo cætera dona largiter proflunt, eoq; largius quo maior est amor. ita ex S. August. S. Thom. 1. p. q. 38. a. ult. ibiq; Scholastici ad vnum omnes. Simon ergo volebat emere Spiritum sanctum, vt eum alijs venderet, putã dona & gratias Spiritus sancti, non tam gratum facientes, quã gratis datas: hæ enim ostentationem, gloriam & questum apud homines pariunt; quales sunt, loqui linguis, prophetare, morbos curare, &c. ita Vrbanus II. cuius verba paulò antè recitauim.

NON EST TIBI PARS, NEQVE SORS IN SERMONE VERS. 21.] id est, in re ista; Tigurin. vertit, *in hoc negotio*, putã in receptione & donatione Spiritus sancti. Est metonymia. Sermo enim ponitur pro re, quam suo sermone expresserat Simon, æquẽ ac Petrus. Syrus legit, *non est tibi pars, nec sors in fide ista*; Clemens libr. 6. Constit. c. 7. *Non est tibi pars in sermone hoc, neque sors in fide hac.* Sic quoque legunt S. Aug. tract. 6. in Iohan. & Ambr. l. 2. de

Pœnit. c. 4. q. d. Tu non habes fidem verā Christi, sed fingiste eam habere, ac proinde Christianæ religionis & Ecclesiæ non es particeps, atq; consequenter Spiritus sancti non es capax.

Rursum Vatab propriè accipit sermonem pro prædicatione. q. d. Prædicatione nostra nihil ad te pertinet: neque enim es ex eorum numero, qui reuera credunt: vel, non es dignus qui admittaris in consortium Euangelistarum, quorum est conferre Spiritum sanctum.

Addunt aliqui, S. Petrum hac voce Simonem expulisse ex Ecclesia, ideoq; Iure Canonico simoniacos excommunicari. ita Turrian. in l. 1. Constit. c. 11. Quin & S. Petrus in Canon. Apost. can. 28. Si quis, ait, Presbyter, &c. per pecuniam hæc obtulerit dignitatem, &c. à cōmunionem modis omnibus abscindatur; sicut Simon Magus à me Petro abscissus est. Memorabile est quod scribit S. Hier. in vita

S. Hilarion respuit dona pro gratijs.

S. Hilarionis, nimirum eum cum plurimos miraculose curaret, nihil unquam ab eis oblatum gratitudinis ergo voluisse recipere, illudque Christi obtendisse: *Gratiū accepistis, gratis date.* Cumq; Orionus vir primarius, quem à legione dæmonum liberauerat, veniret ad eum quasi gratiam redditurus, dona afferens, dixit ei Sanctus: *Non legisti quid Giezi, quid Simon passi sint, quorū alter accepit pretium, alter obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur?* Cumq; Orionus flens diceret: *Accipe, & da pauperibus,* respōdit: *Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulat, & nosti pauperes: ego qui mea reliqui, cur aliena appetā? Tristi autē & in terra iacenti: Noli, inquit, contristari fili: quod facio, pro me & pro te facio. Si enim hac accipero, & ego offendam Deū, & ad te legio reuertetur.* Disce hęc, quā Deus velit sua gratis dari, Sanctosq; præsertim thaumaturgos, ab auaritia esse pueros, & ab acceptione munerū esse liberos.

VERS. 21. COR ENIM TVVM NON EST RECTVM CORAM DEO] quia distortum per auaritiam & ambitionem, & fictum per hypocrisisin.

VERS. 22. SI FORTE REMITTATUR] Dices, ergone dubitat Petrus num Simoni, si verè pœniteat, remittendum sit peccatum? Resp. nequaquam. Nā Primò, τὸ forte non est dubitantis, sed potius expletiva confirmantis particula. Græcè enim est ἄε, quod non tantum forte, sed & utique, sanè, profectò significat, estq; sæpè expletiva particula apud Homerum, ut notat Gaza l. 2. Grammat. Sic Christus ait Matt. 11. 23. *Si in Sodomis facta fuisset virtutes qua facta sunt in te (ò Capharnaum) forte mansissent vsque in hanc diem;* vbi τὸ forte, non est dubitantis (sciebat enim determinatè Christus, quid in hoc casu futurum fuisset) sed confirmantis: græcè enim est ἄε, id est, utique. Pluribus exemplis id demonstrat S. Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 4. & 5. vbi docet, nullum esse tā graue peccatum, quod pœnitentia non deleat. Secundò, τὸ forte significat dubiū euentum & effectum remissionis, ex dubia causa: licet enim certū esset quòd Simon, si ageret pœnitentiā, veniam cōsequeretur; tamen quia anceps & incertū erat, an esset acturus pœnitentiā, hinc pariter anceps & incertum erat, an veniam consequeretur. Liberi enim erat arbitrij, ex eoq; liberè poterat pœnitere, vel non pœnitere: ac videtur Petrus per τὸ forte hęc innuere, quòd non esset acturus pœnitentiā, ac proinde

Fortè est vox confirmantis.

veniam non consecutus, uti reuera non egit, nec consecutus est. Sic forte Latini vsurpant in rebus quæ eueniunt, sed incerta de causa: forte enim idem est quod contingenter, casu, & velut per sortè. Sic Terentius in Andria: *Fortè, inquit, aspicio militem, aggredior hominem.* Et Liuius l. 1. *fortè euenit.* Et infra: *Fortè ita acciderat.* Tertio, τὸ forte significat fortuitam remissionem non culpæ, si pœniteat, sed pœnæ, v. g. mortis temporalis. Deus enim sæpè pœnitentibus licet condonet culpam, non tamen condonat pœnam, ut patuit in Dauide pœnitente, 2. Reg. 12. 14. *Non morieris, verumtamen, &c. filius qui natus est tibi, morte morietur.* Simile fuit in Niniuitis, quibus intonabat Ionas: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* egerunt enim pœnitentiam, etsi non essent certi se per eam euasuros excidium. Vnde S. August. in psal. 50. 8. *Niniuita, inquit, de incerto egerunt pœnitentiā, & certam misericordiā inuenerunt.*

COGITATIO] *ἄνισια*, id est, consilium, conceptus, excogitatio, machinatio, Syrus, dolus.

IN FELLE ENIM AMARITVDINIS] Id est, in felle amarissimo. Iam Primò, per hoc fel accipi potest ira & inuidia. Iræ enim sedes & materia est fel, q. d. Video te vehementer iratum, esse amaro & inuido corde, eò quòd videas te à tuis despici tuosq; discipulos à te ad nos transire: inuides ergo nobis excellentiam, tum gratiarum, tum auctoritatis & æstimationis. ita Vatab.

VERS. 23. Fel quadruplex. Primum.

Secundò, per fel hoc accipi potest hypocrisis. Sicut enim fel colore est simile melli, sed sapore dissimillimum; ita hypocritæ os habent melleum, sed felleum cor. q. d. Tu simulas bonitatem, & ambis columbam fellis expertem, id est, Spiritum sanctum suauissimum, cuiusque dona; at intus plenus es malitia & impietate: os ergo habes melleum & columbinum, sed cor felleum & serpentinum.

Secundum.

Tertio, per fel accipi potest simonia: hoc enim fuit proprium Simonis peccatum. Simonia enim vocatur fel, quia ipsa est sacrilegium felleum, id est, pessimum & amarissimum. Porro Simon videtur non tantum voluisse emere & vendere Spiritum sanctum, sed & pertinaciter sensisse hoc esse licitum, quæ est hæresis. Fuit ergo ipse hæreticus, ut habetur 1. q. 5. can. *Petrus.* Hæresis ergo est fel amaritudinis.

Tertium.

Quarto, fel significat quodlibet peccatum, quod amaricat conscientiam, & exacerbatur Deum ac Spiritum sanctum, qui totus suauis est & melleus. Hinc in Scriptura peccatores dicuntur Deum suis peccatis exacerbare, amaricare, potare felle & aceto, ut patet psalm. 68. 22. *Osce 12. 14. & Deuter 32. 32. & maxime Deuter. 29. 18. Ne forte, &c. sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.* quòd hęc alludit S. Petrus. Huius rei simbolo Iudæi fellei, Christo in cruce propinarunt fel & myrrham, Matt. 27. 31. Peccator ergo habet cor felleum, id est, pessimè affectum erga Deum, erga legem, erga virtutem & honestatem: hæc enim omnia odit.

Quartum.

Nota. Pro fel, locis citatis hebr. est *שן* ros, quod tam toxicum, quàm fel significat. Peccatū ergo est fel & toxicum, Primò, occidens ipsam animam, quæ peccat. Nam anima quæ peccauerit, ipsa morietur, Ezech. 18. 20. Secundò, Deo & homini-

Peccatū est fel tripliciter.

minibus noxium, iniuriam & exosum, adeoque est Deicidium & Christicidium. Si enim veneno, vel telo aliquo periri & occidi posset Deus, non alio quam peccato occideretur, vti de facto eodem occisus est Christus. Hinc vicissim Deus peccatis & peccatoribus erga se felleis, est felleus, eisq; fel iræ & vindictæ suæ propinat, iuxta illud Iob 20. 14. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum. Et Ierem 8. 14. Potum dedit nobis aquam fellis. Et c. 23. 15. Cibabo eos absinthio, & potabo eos felle. Et Thren. 3. 5. Circumdedit me felle & labore. Hoc fel gehennæ longè amarius est omni felle terræ, quod eius respectu pictum tantum est & fictum. Cogitè hoc fel gulosi & peccatores, qui hinc cupiditatis suæ exiguum mel forbèt, dicantque, Tanti pœnitere non emo, non ita demensero, vt modico melle æternum & amarissimum fel mihi accersam.

Deniq; pro in felle amaritudinis, græcè est, ἐξ ὀλένης πικρίας, id est in fel acerbitatis video te esse: in fel, id est in felle, vt vertit Noster. Sæpè enim eis ponitur pro ev: vtrumq; enim respondet Hebræo beth, id est in; nisi subaudias τὸ ἐξ ὀλένης, id est currentem, vel ruentem. Vnde noster Lorinus suspicatur, Petrum per reuelationem Dei vidisse & cognouisse Simonem fore reprobum, & addicendum pœnis aternis, vtpote in quas hoc suo scelerum felle sponte rueret, quæque sunt fel omnis amaritudinis. Vnde & subdit:

ET OBLIGATIONE INIQUITATIS] Græcè est ἐκ τῆς ἐκωδερμῆς, id est, in colligatione. q. d. Videote multis peccatis, quasi funibus & catenis, vndiq; colligatum esse. Syrus, in vinculis iniquitatis te esse video. Significat Simonem multis peccatis obstrictum, in ijsq; obstinatum esse, scilicet immersum esse superbiam, auaritiæ, inuidiæ, magiæ, hypocrisis, simoniæ, sacrilegio, &c. Talibus innotat Isaias c. 5. 18. Vt qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrum peccatorum. Vide ibi dicta. Ecce quam acri celsura simonia in suo auctore Simone; à S. Petro perstricta est & damnata; quam proinde concionatores in eius affeclas, putà simoniacos, pari ratione & iure in torqueant Deniq; noster Mariana per fel & obligationem iniquitatis, accepit pœnam, non culpam. q. d. Video te felli & obligationi, id est graui supplicio & vinculis, destinari: quia enim irretitus es peccatis, hinc video quod te maneat fel & supplicium.

VERS. 24. PRECAMINI] Simon fingit se pœnitere, vt pœnam euadat. Timebat enim ne morte mulctaretur, vti Ananias mulctatus erat ab eodem Petro, quem in signis terribilem & thauimaturgum videbat, & metuebat. Nam post discessum Apostolorum multos Samaritanos seduxit, & à fide Christi auertit, vti indicat Irenæus l. 1. c. 20. Refert S. Clem. l. 6. Constit. c. 7. S. Petrum rursus cū Simone Cæsareæ congressum, cum disputando cōuicisse, ac ad fugam in Italiam coëgisse. Inde ergo proficiscēs Petrum præuenit, & Neronem circuuenit, cui ob suas præstigijs in admiratione fuit, adeo vt illi in insula Tiberina, vbi nunc est tēplum S. Bartholomæi, statua posita fuerit hoc titulo: Simoni Deo sancto, teste Eusebio l. 2. Hist. c. 13. Sed tandem certans cum S. Petro, & volas per aëra, eius precibus deiectus & ad saxum af-

flictus, crura confregit, teste Epiph. hæc. 22. Quæ de causa Nero ægre ferens, suas in Simone curiosas delicias sibi ereptas, S. Petrum cum S. Paulo morte damnauit, vti habent eius Acta.

ET ILLI QUIDEM TESTIFICATI] Ἀγαπαρτων ἐξ ὀλενης, id est, suo testimonio confirmantes ea quæ de Christo prædicata fuerat à Philippo, dicendo, se eadem vidisse & audisse à Christo, esseque testes non tantum auritos, sed & oculos. Sic in iudicio & tribunali Ἀγαπαρτων dicebatur is, qui affirmabat & testificabatur quiddam non in sua, sed in aliena causa, in qua exceptionem intendens liti se offerebat, quò facto litens suam faciebat testificando: qui si mendacij conuinceretur, ἡ δόξα ἀρτων, id est falsi testimonij, crimine damnabatur, ait Budæus in Cōment.

ET MULTIS REGIONIBVS] Græcè, καὶ μὲν, id est, oppidis, villis, castellis; Syrus, pagis; Pagnin. vicis: nec enim in Samaria erat multæ regiones, id est, prouinciæ; sed ipsa vnica erat regio integra, siue prouincia. Apostolicum ergo est euangelizando obire pagos & villas, & rusticos docere res fidei & salutis. Id enim fecerunt hinc S. Petrus & Iohannes, imò Christus, dicens, Pauperes euangelizantur, vti rectè aduertit S. Chrystost.

VADE CONTRA MERIDIANVM] vnde versus meridie. ita Tigurin. & Pagnin. Samaria enim vnde veniebat Philippus, erat ad Septemtrionē Gazæ.

HÆC EST DESERTA] Hæc, scilicet nō via, vt vertit Syrus; sed vrbs Gaza. Addit hoc Lucas ad distinctionem. Duplex enim fuit Gaza: vna in Perside, ita dicta, quòd in ea, vtpote munitissima, Cambyfes omnes suas opes congesserat, ait Curtius l. 13. altera Philistinorum, quæ planè euerfa & vastata fuit ab Alexandro Magno, teste Curtio l. 4. ideoq; vocatur Deserta. ita Beda, Hugo, Caiet. Gagneius & alij. Perperam ergo Beza putat τὸ hæc est deserta, irrepisse in textum, esseque delendum: vnam enim tantum esse Gazam, scilicet quintam satrapiam Philistinorum, quæ numquam planè fuerit delata, vt dici possit deserta. Hoc enim falsum est. Audi Adrichomium in Descriptione terræ Sanctæ, in Gaza: Alexander Magnus statim atque Tyrum expugnauit; Gazam post bimestrem obsidionem occupans, in sempiternum vertit tumulum: vnde ob id deserta appellatur. Noua verò Gaza non longè à veteri ædificata, tēpore Machabæorum, Iosephi & Hieronymi magnopere floruit: vnde iuxta eam vixit S. Hilarion; sicut olim & Samson in Gaza veteri, mirum sui roboris decus, viuens, auferendo eius portas; & moriens, collisione columnarum domum cum tribus hominū millibus euerfens & occidens, ostēdit, Iudic. 16. 21. & 29. Quæ, qualis, & quanta fuerit Gaza, dixi Ierem. 47. 11.

ÆTHIOPS] Abyssinus, vbi nunc regnat Pretorius Iohannes. Vnde liquet cum fuisse Gentilē genere, an etiam religione, dubiū est. Affirmat Beda, Hugo, Caiet. noster Lorinus & Sanchez: Verius negat Iren. l. 4. c. 40. Baron. Carthul. & alij, censentq; eum religione fuisse Iudæū, putà proselytum; tum quia legebat Isaiam: tū quia venerat adorare in Ierusalē: tum quia primio Gētili, putà Cornelio Centurioni, Euangelium prædicauit S. Petrus Act. 10. tum quia magna fuit Æthiopicis cum Iudæis familiaritas, & in religione con-

VERS. 25.

VERS. 26.

VERS. 27.

Æthiops an proselytus?

con-

consensio, teste Strabone l. 17. Vnde & circumcidebantur, æquè ac Iudæi teste Iosepho lib. 8. c. 4. præsertim quia reges Æthiopiæ scribunt se filios Salomonis & Davidis, utpote prognatos à regina Saba ex Salomone, uti fusè narrat Damianus Goës libro de Moribus Æthiopum.

Hic adimpletum est illud psal. 67. 32. *Æthiopia præueniet manus eius Deo: præueniet*, id est, prima veniet, prima extendet, *manus eius*, id est suas (ut patet ex Hebræo) Deo, scilicet ad fidem, obedientiam, fœdus & munera ei offerenda. Vnde S. Hieron. vertit, *Æthiopia festinet dare manus Deo; Pagnin. currere faciet manus suas Deo.*

Mythicè, S. August. credendo *præueniet manus*, id est, opera sua: fides enim præcedit bona opera. Per hunc enim Æthiopem principem, æquè ac paulò post per S. Matthæum Apostolum eodem missum, Æthiopia fidem Christi recepit. ita S. Hilar. Basil. & alij in psalmum 67. ac S. Hieron. in Abdiam.

EVNUCHVS] Id est, princeps reginæ & gynæcei custos: quia enim feminarum regiarum pudicitia commendabatur eunuchis, hinc illi effecti sunt aulæ principes, ad eò ut eunuchus idè fuerit quod princeps, ut dixi Daniel. c. 1. Nam, teste Aristotele, cum cætera animalia māsuecant si castrantur, solus homo eo fit ferocior. Vnde Euthym. in psal. 167 scribit, hunc Eunuchum in imperio Æthiopiæ, post reginam fuisse primum.

CANDACES] Nazianz. orat. in S. Baptisma, & Euthym. in psal. 67. censeant hoc esse nomen Eunuchi. Verum alij omnescensent, esse nomen reginæ Æthiopum: nam hi regebantur à feminis quasi reginis, quas Candaces nuncupabant. ita Plinius l. 6. c. 9. Strabo l. 17. & Euseb. l. 2. Hist. c. 2. Post reginam enim Saba quæ venit ad Salomonem, videtur receptum ut reginæ regnarent, ait Mariana. Sic Pharaos, & postea Ptolemæus, fuit commune nomen regum Ægypti; Antiochus, regum Syriæ; Cæsar, Imperatorum Rom. Tradunt Æthiopes, hanc Candacè, siue reginam Æthiopiæ, vocatam fuisse Indich, eamq; ab Eunuchò conuersam ad Christum, conuertisse pariter Æthiopiam. Sic enim aiunt apud Damianum Goës c. 16. de Æthiopum moribus: *Nos ferme prius cæteris Christianis omnibus, baptismum ab Eunuchò Candacis reginæ Æthiopiæ, cui nomè erat Indich, accepimus.* Idem refert Ortellius in Theatro orbis, in Abyssia, qui pro Indich, ait eam vocatam *Indith*.

QUI ERAT SUPER OMNES GAZAS EIUS] qui præerat thesauro regio, quasi reginæ thesaurarius; sicut Romæ dignitas erat quæsturæ & quæstorum, qui præerat thesauro reipublicæ.

VENERAT ADORARE IN IERUSALEM] scilicet Deum verum Iudæorum, tum propriè dicta oratione & adoratione, tum sacrificio. Hoc enim ex legis præscripto nullibi peragi poterat, nisi in templo Hierosolymitano; cum oratio & adoratio in Æthiopia, & quouis alio loco fieri posset. Sic adorare sumitur pro sacrificare, Iohannis 4. 20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet.* Simile est Iohan. 12. 20. Sophon. 2. 11. & alibi.

VERS. 28. LEGENSQUE ISAIAM PROPHEIAM] Videtur ergo calluisse linguam Hebraicam, ait Hugo & Glossa, quasi Proselytus; nisi dicas Isaiam fuisse

A conuersum in linguam Æthiopicam. Notat S. Chrysof. diligentiam & deuotionem huius Eunuchi, qui etiam per iter in curru lectitavit Isaiam. Et S. Hieron. epist. 103. ad Paulinum: *Reliquit, inquit, aulam regiam, & tantus amator legis diuinæ, scientia fuit, ut etiam in vehiculo sacras Literas legeret.* Sic hoc sæculo Cardin. Hosius Concilij Tridentini præses, ne quid temporis in itinere perderet, solebat in curru lectitare, ac nominatim lectitabat paraphrasim Olorij in Isaiam, quæ tunc recens prodierat, ait Protonotarius Reschius in eius vita.

DIXIT AUTEM SPIRITVS PHILIPPO] scilicet VERS. 29. Spiritus sanctus per internam inspirationem & locutionem. ita Beda, Hugo & Dionys. licet Caietan. & noster Lorinus accipiant angelum. hic enim vocatur Spiritus Domini v. 39.

B QVOMODO POSSVM, SI NON ALIQUIS OSTENDERIT MIHI?] græcè ὅτι οὐκ ἔστιν, id est, *dux viam mihi fuerit*, ut vertit Pagnin. & Tigurina. Ergo verba intelligebat, non sensum abditum, cuius ducè & interpretem postulat. Notent hoc hæretici, qui sacram Scripturam intellectu facilem & cuilibet apertam pronuntiant. Audiant S. Hieron. epist. 103. iam citata: *Nec sanctior sum hoc Eunuchò, nec studiosior, qui &c. ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in litera, &c. ut intelligeres te in Scripturis sanctis, sine prauo & monstrante semitam non posse ingredi.* Idè senserunt & fecerunt S. Basil. & S. Nazianz. apud Ruffinum l. 11. Histor. c. 9. Et S. August. epist. 119. c. 21. *In ipsis*, ait, *S. Scripturis multò nescio plura, quàm scio.* Idè l. 12. Confess. c. 14. *Mira*, ait, *profunditas eloquiorum tuorum, Deus meus, mira profunditas: horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* S. Ambros. epist. 44. ad Constant. Mare, inquit, *est in se Scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem Prophetiarum enigmatum.* Quocirca S. Hieron. præfat. in epist. ad Ephes. *Numquam*, ait, *ab adolescentia aut legere, aut doctos viros qua nesciebam interrogare cessauit, aut meipsum habui magistrum. Denique nuper Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus qua habebam dubia sciscitarem.* Idem dicunt alij, quos citauit Procemio in Pentateuchum.

LOCVS AUTEM SCRIPTURAE] Direxit Spiritus sanctus oculos Eunuchi in c. 53. Isaiæ, quod totum est de Christo eiusque passione, ut ex eo. explicatè Philippo, Christum agnosceret, in eumque crederet. Vnde discimus, quàm utile sit legere libros pios, præsertim S. Scripturam. Huic enim lectioni interserit se Spiritus sanctus eorū auctor, piisque rerum lectarum cogitationes intellectui, & affectiones voluntati instillat, quibus homo conuertatur, vel ad maiorem sanctitatem prouocatur. Ita ex lectione vitæ S. Antonij, conuersi sunt duo illi iudici Imper. ipseque S. August. uti ipse refert lib. 8. Confess. c. 6. & 7. Imò cum S. Athanasius fugiens Arrianos, vitam S. Antonij à se scriptam Romam detulisset, eamque legendam dedisset, multi Romani nobiles, viri & feminae, spreto mundo vitam religiosam instar S. Antonij amplexi sunt: quorum dux fuit S. Marcella, teste S. Hieron. in eius Epitaphio epist. 16. ad Principiam eius filiam. Sic Societatis nostræ

VERS. 31. Lectio piorum librorum utilisima.

nostræ fundator S. Ignatius, ex vulnere decumbens, cum casu, vel potius Dei nutu & ductu, vitam Christi & Sanctorum lectitaret, ex milite sæculari factus est dux militiæ sacræ & religiôsæ, uti narrat Ribaden. initio vitæ eius.

Qui ergo suæ salutis & perfectionis, æquè ac diuinæ inspirationis & gratiæ est avidus, sequatur & exequatur hoc S. Basilij, imò Spiritus sancti, placitum: *Lectioni pia succedat oratio, orationi lectio.* Et illud S. Aug. serm. 112. de Tempore: *Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum verò legimus, Deus nobis cum loquitur.* Fecit hoc S. Marcella, de qua S. Hieron. epist. 16. iam citata: *Diuiinarum, inquit, scripturarum ardor erat incredibilis, semperq; cantabat: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Et illud de perfecto viro: Et in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte, meditationem legis non in replicando quæ scripta sunt, ut Iudeorum existimant Pharisæi, sed in opere intelligens, iuxta illud Apostolicum: Siue comeditis, siue bibitis, siue quid agitis, omnia in gloriam Domini facientes. Et Prophetæ verba dicitis: A mandatis tuis intellexi, ut postquam madata compleisset, tunc se sciret mereri intelligentiam scripturarum.* S. Ambros. serm. 35. *Quod, inquit, sacrarum literarum lectio vita sit Dominus testatur, dicens Iohan. 6. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Idem l. 1. offic. c. 20. *Cur, ait, non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non Christum reuisas, Christum alloquaris, Christum audias: illum alloquimur cum oramus, illum audimus cum diuina legimus oracula.* S. Chryso. homil. 35. in Genesim; *Magna, inquit, diligentia diuiinarum scrip. lectioni vacemus. Nam licet desit nobis hominis magisterium, ipse Dominus supernè corda nostra intrans illustrat mentem, rationi iubar suum infundit, detegit occulta, doctorq; sit eorum quæ ignoramus, &c. Igitur lectioni vacemus magna pietate & attentione, ut possimus à sancto Spiritu ad scriptorum intelligentiam duci, & multum inde fructum percipere.* Id deinde probat exemplo nostri huius Eunuchi, quod fusè explicat & perurget.

TAMQVAM OVIS] Vide hæc explicata in ipso Isaia.

VERS. 35.

APERIENS AVTEM PHILIPPVS OS SVVM] Id est, orfus loqui, docere & prædicare Iesum. Hæc enim phrasis significat rem, quam quis ore suo prolocuturus est, esse grauem & sublimem, eantque cum pòdere, & auctoritate eloqui. Symbol. Beda: *Appositè, ait, hæc apertio oris alludit ad nomè Philippi. Philippus enim hebraicè idem est, quod os lampadis, quæ scilicet hic obscuritatem prophetiæ Isaia illustrat, & conuertat in lucem scientiæ.* Porro Philippus hic catechizauit Eunuchum, cumq; docuit mysterium incarnationis & redèptionis Christi, illi antea inauditum. Sic & Apostoli omnes fuerunt catechistæ, eorumq; conciones erant catecheses, uti ait Paulus Galat. 6. 6. *Hicce ergo ducibus gloriantur nostri catechistæ, sciantque suum munus esse Apostolicum. Alacriter ergo & strenuè rudes, putà pueros, plebeios, rusticos catechizent. Hoc fecit Christus, hoc Apostoli. Vide dicta Galat. 6. 6.*

Apostoli erant catechista.

VERS. 36.

ECCE AQUA] Modestè petit baptismum. q. d. Baptizame, fides plena est, aqua propè, baptizator

A *presens, ait Glossa. Inde hæc aqua vocata est fons Æthiopsis, de quo ex S. Hieron. & Saligniaci audi Adrichom. in Descript. tribus Dan: Fõs Æthiopsis, inquit, est in medio itinere, quo itur ab Ierusalem in Gazam contra Betsuram, vigesimo ab vrbe lapide, ad radices montis ebulliens, & eadem qua gignitur sorbetur humo, in quo Philippus Eunuchum Æthiopem baptizauit, qui dum in curru verus instrumentum relegeret, fontem reperit Euangelij.*

CREDO FILIVM DEI ESSE IESVM CHRISTVM] VERS. 37. Multa alia credèda sunt, ut quis dignè suscipiat baptismum; ut mysterium S. Trinitatis, Ecclesia Catholica, remissio peccatorum, resurrectio, & cætera quæ Symbolo Apostolico continentur. Quare dubium non est ea euangelizasse Philippum, & credita esse ab Eunuchò. Præcipuum ergo articulum de Christi diuinitate dumtaxat hic nominat Lucas, & sub eo cæteros intelligit: quia is vnus toti orbi erat nouus & penè incredibilis, ac recentè peractus: eum ergo ubiq; præ cæteris prædicabant & inculcabant Apostoli. Similiter non est dubium Philippum exegisse, & Eunuchum exhibuisse signa doloris & contritionis de peccatis admissis. Hic enim dolor requiritur ante baptismum, ut quis sit capax remissionis eorumdem & iustificationis, ita S. August. lib. de Fide & oper. c. 8. & 9.

SPIRITVS DOMINI] putà angelus, qui nominatus est v. 26. ita Salmèron, Sanchez, Lorinus, & innuit Hieron in c. 63. Isaia.

VERS. 39.

RAPVIT PHILIPPVM] Sicut rapuit subitoq; ex Iudæa in Babylonem transtulit Habacuc, ut ferret prandium Danieli c. 14. 35. sic hic subito ex via Gazensi transtulit Philippum in Azotum, quæ à Gaza distat quadraginta miliaribus. ita S. Chryso. Oecum. & alij. Idque Primò, ut per hunc raptum sciret Eunuchus, Philippum esse virum admirabilem & diuinum, ait S. Chryso. Secundò, ut sciret Philippum à Deo, ad ipsam catechizandum & baptizandum, esse missum: vnde eo factò, ab eodem abripi. ita Lyran. Tertio, quia aliàs Eunuchus diutius detinisset Philippum, quem Deus volebat alijs quoque euangelizare. ita Oecum. Porro hæc omnia contigerunt paulò post cædem S. Stephani, ut patet ex v. 4. Vnde Chronicon Alexand. asserit, secundo anno ab ascensu Christi in cælum, conuersum esse Euntichum à Philippo, & Cornelium à S. Petro, de quo cap. 10. Idem sentit Gaspar Sanchez tract. 1. de Prædic. S. Iacobi in Hispan. c. 9.

Philippus raptus ab angelo ob tres causas.

IBAT AVTEM PER VIAM SVAM GAVDENS] Gaudium enim est fructus Spiritus sancti, quem in baptismo receperat. Meritò gaudebat de tam magno Dei dono, tam mira & speciali eius prouidètia sibi collato. Verè S. Aug. in Sententijs sent. 90. *Sanctis non potest, ait, quisquã fraudari delectationibus suis, Christus est cui Christus est gaudium. Aeterna enim exultatio est ei, qui bono letatur eterno.* Et sent. 131. *Christiano rectè gaudendi causa, non presens seculum est, sed futurum.* S. Hieron. in cap. 53. Isaia, scribit hunc Eunuchum prædicasse Christum in Æthiopia, factumque Apostolum Æthiopum, ac de discipulo magistrum. Idem testatur Irenæus libr. 3. cap. 12. Cyrillus catechesi 17. & Euseb. libr. 2. historiæ cap. 1. Fertur ipse suscepisse S. Matthæum in Æthiopia missum, in vrbe Nadaber, inquit

Eunuchi
vita.

VERS. 40.
Caesarea
quis?

inquit Gagneius. Addit Dorotheus in Synopsi A Sanctorum, & ex eo Niceph. l. 2. c. 6. & 7. hunc Eunuchum in Arabia Felici, Taprobana, & vniuersa Erythra Euangelium praedicasse, tandemque martyrio coronatum ibidem sepultum: insuper coemeterium ipsius fidelibus esse munimentum insuperabile, barbaros & scelestos fugans, morbos depellens, & sanationes operans vsque ad praesentem diem.

DONEC VENIRET CAESAREAM] *Caesarea* vrbs Palaestinae sita inter Doram & Ioppen, prius dicta est *turris Stratonis*; sed ab Herode Ascalonita in honorem Augusti Caesaris, cui eam dedicauit, dicta est *Caesarea*: diuersa fuit a Caesarea Philippi, quae scilicet a Philippo Herodis filio, in honore Tiberij Caesaris, ad radices Libani aedificata, inde nomen vtrumque accepit, ac postea ab Herode Agrippa in honore Neronis, dicta est *Neronias*. Porro in hac nostra Caesarea Philippushic

Diaconus domum habuit, in qua & habitauit cum quatuor suis filiabus Prophetissis, de quibus c. 21. In eadem Herodes Agrippa senior, cum quinquennalia celebraret, neque adulatorum compeferet, qui ei peroranti acclamabant: *Vox Dei. non hominis*, ab angelo percussus interiit, Act. 12. In eadem Cornelius Centurio a S. Petro baptizatus, primus in ea Episcopus fuisse traditur, Act. 10. Hic quoque Agabus Propheta zona Pauli se astringens, eius vincula praedixit: vnde paulo post Hierosolymae Paulus victus missus est Caesarem, ubi coram rege Agrippa & Felice praeside causam suam egit, ac detentus in vinculis a Festo Caesarem appellauit, Act. 23. & sequi. Huius vrbs Episcopus postea fuit Eusebius Eccles. Historiae Scriptor, qui inde Caesareensis est dictus; sicut S. Basilii alterius Caesareae, quae est in Cappadocia, fuit Episcopus. ita Adrichomius in Descriptione terrae Sanctae.

C A P V T N O N V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

Describitur hic Primò, conuersio S. Pauli. Secundò, duo miracula S. Petri, scilicet curatio Aeneae paralytici, v. 32. & Dorcadis defuncta suscitatio, v. 38.

1. Saulus autem adhuc spirans minarum, & caedis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, 2. & petijt ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas: vt, si quos inuenisset huius viae viros, ac mulieres, victos perduceret in Ierusalem. 3. Et cum iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum lux de caelo. 4. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? 5. Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. durum est tibi contra stimulum calcitrare. 6. Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? 7. Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. 8. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. 9. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit. 10. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego Domine. 11. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus: & quaere in domo Iudae Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat. 12. Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus vt visum recipiat. 13. Respondit autem Ananias: Domine, audiui a multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ierusalem: 14. & hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum. 15. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quonia vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. 16. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. 17. Et abiit Ananias, & introuit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto. 18. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae, & visum recepit: & surgens baptizatus est. 19. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. 20. Et continuo in Synagogis praedicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei. 21. Stupebant autem omnes qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, vt victos illos duceret ad principes sacerdotum? 22. Saulus autem multo magis conualecebat, & confundebar Iudaeos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. 23. Cum autem implerentur dies